ETHICA

Ex-tempore concinnata in publica
Universitate Neapolitana

Ab A. R. P.

D. JOSEPH-MARIA
AMATI

Lectore Theologo Cælestino Ordinis
S. P. Benedicti.

De mandato Illustriss., & Rev. Dom.

D. DIDACI VINCENTIJ
VIDANIA

Studiorum Præfecti, ac S. C. M. a Sacris
Consilijs.

COMPLECTENS

PROÆMIALIA ETHICÆ, ET
QVÆSTIONES

I. De Felicitate.
II. De Virtutibus.
III. De Passionibus animi, elucidatis per Themata Concionum, quæ occurrunt in festis, & præcipuis diebus Quadragesimæ.

Neapoli Typis Antonij Abri 1721.
Superiorum permissu.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. JOANNI FRANCISCO

V I N C E N T I

Sereniſſimæ Venetiarum Reipublicæ nomine Neapoli Reſidenti &c.

D. JOSEPH MARIA AMATI S. P.



Lura ſunt, Illuſtriſſime Domine, quæ mei excitant animum, ac propemodum urgent, ad hanc tibi Ethicam devovendam; præter enim tui animi æquitatem, tui ſanguinis celſitudinem, tuæ patriæ nitorem, id me ſuper omnià devincit; quod æquum tibi comparaveris animum, non tibi ipſi confidens, ceù nequam Pelagius de Demetriadè

blaſphemabat, ſed gratiæ innixus cæleſti, quæ ad cor loquitur ſingulorum.

Si adſpexero animum, Ethica, quæ animi paſſiones moderari conatur, tui currit ad ſinum, quippe qui eas dumtaxat paſſiones admittis, quæ modum ſervant, ac moderamen. Eo lætata ſunt moderamine, tum Gallia, tum Anglia in ablegationibus, queis es ibi perfunctus, ut & Peloponneſi Regnum in pace compoſitum, te inibi Secretario belli: eo met moderamine mea gaudet modo Parthenope, eo ipſe ſummè delector.

Si ſanguinem retroſpexero, Patris tui Antonij prudentia, qua Neapoli, & Mediolani pro Sereniſſima adhùc Venetiarum Republicas Reſidens, nec non Ablegatus

Flo

Florentiæ, ac Designatus pro Congressu Pacis Trajecti, Pacis, belliquæ negotia pertractavit, ad filij me alas provoluit.

Tui atavorum charitas, tuę patriæ nitor me in tui admirationem extollunt.

Familia VINCENTI ex primoribus apud Lucenses Lucæ in Thuscia, in Patritiorum illorum consessu aureis litteris exarata conspicitur. Non imprudenter hoc factum, sed ad indicandum, quod aurum charitatem designans, ei deserviat describendæ familiæ, quę charitate, vel super omnes excellit, vel nulli omnino secunda. Pluribus ab inde hoc sæculis novit Serenissima Venetiarum Respublica, dùm eam, sibi consulens, intra benignitatis suæ viscera

collocavit, ex eo quod eam anno 1310. Regis pacifici, vidit patrios lares, patritiam dignitatem, paternum patrimonium desérere, ut Castrucci Castracani diffidia diffugeret; digna sane, quæ exiens de terra sua, & de cognatione sua Abraham imitata benedictione quadam potiretur & Abrahæ. Nonne gens à Deo benedicta censebitur, tum tui Proauus Antonius Maria, tum filius ejus Joannes Maria, quorum primus benedictionem sortitus de pinguedine terræ, rore tamen Cęli irrigata, fuit Residens Neapoli, Florentię, Mediolani, inde Commissarius Mantuæ, ac Designatus pro Congressibus Ratisponæ, aliisque in locis Germanię, secundus verò rore Cęli perfusus, terræ fastidiens pinguedinem, sese

to-

totum Cęlo donavit, & Clericus Regularis effectus, Cęli volatilia respiciens, juxta monita sui Sancti Institutoris Cajetani, nihil sibi sollicitus de vestimento, cælesti nunc amictus est lumine, sicut piè creditur, ex opinione sanctitatis, quam liquit post mortem.

Quid memorem Joannis Mariæ fratris tui, pacisque penè parentis, virtutem, quæ eum exhibet, & exhibuit maximè gratum Regibus, & Principibus, ipsique Serenissimæ Venetiarum Reipublicę, quæ non fallitur in seligændo Ministros, quibus honor debeatur, & onus, quapropter voluit, ut esset Residens Neapoli, & in Helvetia, Designatus pro pace in Hollandia, ut & in præsenti pro Cameracensi congressù.

Charitati VINCENTI vincenti rebelles animi passiones datur edere de ligno vitæ, vitæ quippè immortalis.

E' Cęlo, Illustrissime Domine, è Cęlo tibi concessum, quod natus Neapoli, sacrò susciperereris è fonte ab Excellentissimo Duce Turris Philamarino, & Philamarinus, qui ex græco vertitur, immortalitatis amator, *Patrinus tibi daretur: decebat nempè, ut familiæ VINCENTI charitate immortalitatem amanti, spirituali adnecteretur cognatione familia, quæ charitate non minus, ac nomine amantissima immortalitatis est habita.*

E' Cęlo concedatur & mihi, ut ego, quem Patrem dignatus es tibi spiritualem seligere, tui imitator effectus, in spiritu sim tibi con-

jun-

junctus; ad tui normam vitam componens, exemplo non minus, quam verbo, Ethicam doceam, & ità tecum, felicem post vitam, de ligno comedam vitę, de eo, de quo dictum est: VINCENTI dabo edere de ligno vitæ.

Vale, diù feliciter vive, ac in ęternum vive.

REVERENDISSIMO PADRE :

D. Giuseppe Maria Amati Lettore Teologo Celestino, umilissimo Oratore, e suddito di V. P. Reverendissima, supplicãdo l'espone, qualmente desidera dare alle stampe l'*Etica* da lui composta : Che però umilmente la supplica, a commetterne la revisione, a chi meglio le parerà. Che della grazia, quam Deus, &c.

Reverendissimus Pater Coabbas D. Matthæus Vecchi Abbas Sanctæ Mariæ de Casaluce, nec non Pater D. Fortunatus Palombo Abbas Sanctæ Mariæ ad Magellam de Capua prædictũ Opus revideant, & in scriptis referant. Datum ex nostra Regali Abbatia Murronensi die 18. Octobris 1721.

Domnus Ludovicus Grassi Abbas Generalis Coelestinorum.

REVERENDISSIME PATER.

MAndato Reverendiſs.Paternitatis tuę obtemperans *Ethicas Diſſertationes A. R.Patris D. Joſephi Mariæ Amati* in Venerabili Ceonobio SS. Petri, & Catharinæ ad Magellam Sacræ Theologiæ Lectoris, ſumma animi oblectatione, atq;admiratione perpendi; nihilq;in eis Orthodoxæ Fidei,Sacræ Scripturæ,boniſve moribus diſſonum offendi; quinimmò veram ſapientiam in corde Authoris requieſcere,& prudentiam in ſermone oris illius elucere animadverti: In parvo etiàm libro magnum, atq; ſublime ingenii acumen apertiſſimè novi; haud enim ab Operis mole,ſed à doctrinæ pondere pretium ſumit Liber; & in maximo aliquandò paginarum ſalo nulli ſunt ſales. Ex linea Apellem caliginoſa novit Antiquitas. Opus ergò parvum abunde Authorem commendans ſe approbat.Quarę publica luce,laudiſq; ſplendore dignum cenſeo. Ex Venerabili Monaſterio Sanctiſſimæ Aſcenſionis, & Sancti Michaelis in Plaga Parthenopæa,die 30. Octobris 1721.

Humillimus,ac devinctiſſimus ſervus.
D.Matth.Vecchi Coabb.Celeſt.Abb.S.M.Caſol.

RE-

REVERENDISS. PATER.

Librum *Ethicæ ab A.R.P D.Joseph Maria Amati* nostræ Congregationis Cælestinæ Sacræ Theologiæ Lectore conscriptum, Paternitate Vestra Reverendiss. demandante, attentè revolui, & in eo nihil Orthodoxæ fidei, bonisve Moribus adversum, sed omnia ad pondus Sanctuarii, & ad Catholicæ disciplinæ Stateram librata inveni. Faxit ergo Deus, ut meritissimi Auctoris industria suum consequatur effectũ, ut Christianos Mores, quos ipse inter assidua virtutum exercitia durans, perpetuis exemplis non minus, quam extemporaneis docet verbis, cæteri ubertim inde hauriant. Quod, ut obtineri facilius possit, publicæ operis editioni calculum meum libenter defero, si Paternitati Vestræ Reverendissimæ fuerit benè visum. Neap. ex nostro Venerabili Monasterio SS. Petri, & Catarinæ ad Magellam, die 30. Octobris, 1721.

P.V. Reverendiss.

Humil. addictissimus, & obsequentissimus servus.

D. Fortunatus Palumbo Abb. S. Mariæ ad Magellam de Capua, & in Regio Archigymnasio Sac. Theol. Moralis Professor.

DO:

DOmnus Ludovicus Grassi à Neapoli Abbas Sancti Spiritûs de Murrone, ac Præsidens Generalis totius Congregationis Coelestinorum Ordinis Sancti Benedicti.

Cum Librum, qui inscribitur *Ethica ex tempore Concinnata, &c.* à Patre Domno Josepho Maria Amati nostræ Congregationis Lectore Theologo compositum, duo ex nostris Theologis, quibus id commisimus, diligenter examinaverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, servatis de jure servandis. In quorum fidem præsentes subscripsimus, & nostro sigillo obsignatas dedimus. Ex nostra præfata Regali Abbat. S. Spiritus de Murrone. Dat. 6. Novemb. 1721.

D. Ludovicus Grassi Abbas Generalis Coelestinorum.

Reg. fol. 13.

D. Beda de Mari Abbas, & Secretarius.

EMI-

EMINENTISS. ET REVERENDISS. SIG.

D. Giuseppe Maria Amati Lettor Teologo Celestino supplicando espone, come desidera dare alle stampe *l'Etica*, e però la supplica à volere commettere la revisione à chi più parerà à V.Em.e riceverà il tutto à gratia, ut Deus.

Rev. D. Julius Nicolaus Tornus Examinator Curiæ Archiepiscopalis revideat, & referat Eminentiss. Domino. Neap. 8. Aug. 1722.

D.P.M.Giptius Can.Dep.

EMINENTISS. DOMINE.

COmmentarium in *Ethicam Auctore A. R. P.D. Josepho Maria Amati*, emeritissimo, e Coelestinorum familia Theologo, Em.V. auctoritate me legêtem nihil remoratum est, quod Religionis puritati, aut morum castimoniae offendiculo esse possit. Quinimmo Auctoris, probitatem, & doctrinam insigniter singula commendare deprehendi? Quare publicam mereri lucem reor: modo ne E.V. sentiat diversum. Neap. XVII. Calendas Octobris A.D. M.DCCXXI.

Em.V.

Humillimus, Obsequientiss., ac Addictiss. Famulus

Julius Nicolaus Tornus.

Attenta supradicta relatione, quod potest Imprimi.

Imprimatur. Neap. 6. Octobris 1721.

D.P.M.Giptius Can.Dep.

EC-

ECCELLENTISS. SIGNORE.

ANtonio Abri publico Stampatore, di questa fedelissima Città, supplicando espone à V. E. come desidera stampare *l' Etica composta dal M. R. P. D. Gioseppe Maria Amati Lettore Celestino*, prega per tanto l'Ecc. V. di commettere la revisione à chi le parerà, e l'averà à gratia, ut Deus, &c.

Rev. D. M. Andreas Mastellone videat, & in scriptis referat.

Gaeta R. Mazzaccara R. Ulloa R. Alvarez R. Giovene R. Falletti R.

Provisum per S.E. Neap. 11.*Sept.* 1720.
Sp.Reg. Miro absens.

EXCELLENTISS. PRINCEPS.

E*Thicam* opere, & verbo, semper, & ubique docuit R. Adm. P. D. Joseph Maria Amati, professione, & moribus Coelestinus: Verus Christi imitator, qui cæpit facere, & docere. Ipse Virtutum Omnium exercitio in Asceterio præluxit Monachis; clara, ac solida doctrina in Regio Archigymnasio profuit Civibus. Horum tamen Amicorumque precibus victus, ut non solum

lum suis, sed & exteris prodesset, Eam communi profectui per publicam lucem elargiri coactus fuit. Librum itaque meditata dogmata complectentem, Exc. V. demandāte, sūma mentis aviditate, nec minori cordis, & animi voluptate revolui; nihilque in eo, nisi sanam doctrinam, verbum bonum irreprehensibile, securo percurrendum pede, fateor comperisse. Cumque religiosissimus Autor Deo Obediens, Obsequens Regi, idipsum, quod in corde gestat, eructet in ore, proferat lingua, exaret calamo, prælo jure merito commendandum arbitror, dūmodò meam hujusmodi sententiam Ex. V. ut exposco, & deprecor, benigne obfirmare dignetur. Ex Carmelo nostro S. Mariæ de Vita die 28. Septembris 1721.

Exc. V.

Addictissimus Servus.

Frater Andreas Mastellonus Ex-Assistens Generalis Carmelitarum.

Visa relatione Imprimatur, & in publicatiòne servetur Regia Pragm.

Gaeta Reg. Mazzacara Reg. Ulloa Reg.
Alvarez Reg. Giovene Reg.

Provisum per S. E. Neap. 17. Octob. 1721.

Mastellonus.

INDEX
CAPITULORUM
PROOEMIALIUM ETHICÆ.

QUÆ-

QUÆSTIONIS PRIMÆ
De Felicitate.

QUÆSTIONIS SECUNDÆ
De Virtutibus.

Asser-

QUÆSTIONIS ULTIMÆ De Passionibus Animi.

Cap.

ERRA-

ERRATA CORRIGE

In Dedicatoria.

ſeligęndo : ſeligendo

In Corpore

pag.3. tubeſcit : tabeſcit
pag.8. Iſionis : Ixionis
Cociti. Cocyti:
pag.19. prohibenda : prohibenda?
pag.25. ab illos : ab illo
pag.37. aſſimilant : aſſimilantur
pag.57. Aſſertio prima : Aſſertio
pag.60. intelliĉtiva : intellectiva
pag.61. debet : debent
pag,62.& 9.& 4.& 6.4.
pag.93. linea 1.magnanimus t. magna-(nimus,
ibidem linea 2. ama . amat
pag.99. difflculter : diſſiculter
pag.101. Oloferṫnis: Holofernis.
procraſtitantes. procraſtinantes
pag.110. greca : græca
pag.126. ipſi : ipſis
pag.130. genio : genios
pag.131. ibus : cibus
pag.150 Quadrag. Cineıum
pag.152, inducit : induit

pag.

pag.153.Eccletiaſtia : Eccleſiaſtici
pag.189. Media : Medea
pag,236. locum : bonum
pag.243.Carth yſianus.Carth uſianus
pag.246.primæ partis.ſecundæ|partis
pag.251.affectus:effectus

In Prælectione huic operi in fine annexum.

pag.20. non oleo : nam oleo
pag.21. primatus : primarius
pag.28. ſimilatio : ſimulatio
pag.penultima Novembris:Dec.

Præfatio ad Lectorem.



Enigne interpetrare amantissime Lector mei animum, si forte malum, non tamèn, spero, malignum: si quæ primà fronte apparuerint tuæ pietati non congrua, primo, amabo, primo ne sistas in commate, sed ad sermonis caput attende : inspicè, quò mea se ferat oratio, & inde intentionem habeto.

Quisquis Ecclesiasticæ historiæ, vel ipsa limina invisit, inter prima fidei rudimenta exploratum id habet, quòd Nicæna quondam in Synodo, divino inspirante flamine, sit definitum, Nicenæ fidei nefas esse, quid addere; intellige verum, quod ipsi non consonaret; nam, quòd, etherodoxis urgentibus, ad illa verba, *ex Patre procedit* additum sit, *Filioque*, hoc Nicenæ nequicquam fidei detrahere visum est. Contextum lege; & quid addendum, intelliges.

Ad finem legat unusquisque sermonis telam, quam ordior, & si fas est, posteà succidat, nè de eo conqueri valeam: *dum adhuc ordirer, succidit me*.

B Mos

Mos commendatur Exordii, à proposito se significare alienum, ceù foret, si sermonem potraheremus cum Quinto Curtio in edisserendo, quod nullæ ante Alexandrum adinventæ sint artes, nulla extiterint arma, quæ Tyrum expugnare valuerint, ut ex his valeremus arguere, quam magna Alexandri Magni virtus extiterit, dum per plura Tyri fortitudine amplificata, una voce concluderetur: *Hanc Urbem expugnavit Alexander*.

Conceptum ergo sermonem ante partum noli succidere, at & partus tenuitatem rhinocerontis naso ne ferias, sed ursi lingua reformes. Tenuis est fœtus, atqui integrum Ethicæ corpus concepi. Nil addendum, nil detrahendum, nil commutandum exoro, quod præsenti distet à corpore. Id facile fiet, si amico me respexerit animo Lector. Id à te Lector non ex justitia, sed ex charitate, quæ peccatorum operit multitudinem, in Christo Domino deprecor. Vale.

ETHI-

ETHICA

PROŒMIUM



On est mihi animus, Ethicam, sive Moralem Philosophiam aliter edocere, quam, ut Catholicæ fidei sectatores docuere ùsque modò. Sunt, qui se Philosophos jactant, dum de Dèo ne verbum quidem promere tentant, vulgare illud usurpantes proloquium; *non est Philosophorum recurrere ad Deum*, quasi Deus ipse non sit Naturæ una auctor, & gratiæ. Numquid Physicam, sive Moralem ullam virtutem, obtinerè quis valeat, dum non à virtutis cujusvis fonte, à rerùm omnium opifice hauserit illam? Eò progressa est humanæ mentis audacia apud temerarios quosdam, ut dum philosophica inter asserta, Dei rutilat nomen, non vereantur

tur hujusmodi temerarij homines dementatum vocare extollentem hoc nomen. Id est in causa, quod si aliquando virtutem hi monent, vitia potius inducant. Mens mea hoc unum excogitat, quod temerariam hanc horum opinionem tollam de medio. Curavero itàque mores, virtutesque spectantes ad Ethicam tali stilo tractare, ut Dei nomen in hoc opere semper eniteat. Fallitur, qui sentit veras, perfectasque virtutes, Deo non affulgente, posse obtineri. Dei sub patrocinio de his edisserere pro viribus curem; nec modicum, spero, reportaverimus emolumentum, cùm ipsas brevi, clarèque tractavero, adeò ut non unam, vel alteram, sed quasvis ante oculos adferam.

Scrupulosos vellem hic Auditores cunctos attentos, & pollicerer Æcastor, scrupulos quoscumque abigendos, si virtutum quarumcumque nitorem animadvertere non recusarent.

Plangit inter angustias anxius

absti-

abstinens ille, qui pomi saporem degustare non audet, cum nempè vereatur, ne abstinentiam eo dulcore corrumpat: Sapiat is Eutrapeliam virtutem, quæ delectationem quandoque illam efficit virtuosam.

Anxius est ille, qui jam superbiæ venenum ex horret, & convicia sustinere tentatus, exardescit in rabiē, qua profecto tubescit, dū venenosam illam crediderit: studeat is fortitudini ac fortitudine gentium imbutus, & gloria ipsarum superbiens, convicia illa retundat, quæ virtus ad sui statum pertinens tolerare non paritur, puta si persona publica proprio cedere honori non debeat. Vide plura inferius in de fortitudine, ac de magnanimitate, ad id facientia.

Ad Ethicam ergo Scrupulosos omnes invitem, quin quoscumque orthodoxos, sic enim fiet, quod cum virtutem unam animus nobis non est exercere, virtutem aliam sectemur, qua facile, jucunde, ac delectabiliter

ad virtutis montem aſcendere valeamus.

Virtutem poſuere Dij ſudore parandam: ſudore virtutem paraverit, qui virtuti non niſi unicæ attendit; Cui tamen virtus omnis eſt agnita, facilis eſt ad virtutis montem acceſſus.

Non Deæ gentium Virtuti erigatur Templum, ſed Deus homo Salvator Dominus Jeſus Ethicam fundet in nobis; eique, à quo omnis virtus, Templum, honor, & gloria.

CAPUT PRIMUM.

De Eminentia Philoſophiæ moralis ſupra alias ſcientias humanas, ſeu naturales.

ETHica, ſive Moralis Philoſophia uni cedit Theologiæ, ſacræque Scripturæ: eæ enim innixæ principijs ſupernaturalibus ſunt, & revelatis à Deo, Cæteroqui, ſi ipſam Ethicam, pro-

prout modo explananda à nobis, considerare velimus, neque secundum locum post has occupat Ethica; ea enim non est porrigenda lumine naturali dumtaxat, sicut ab Ethnicis, sed principijs quoque ea fundanda supernaturalibus erit.

Ut dignoscatur, quanti nostra Philosophia facienda sit supra cæteras naturales, & humanas scientias; quædam primo brevi calamo conjungemus ex authoribus Ethnicis, inde ex Patribus Sanctis.

In unum conglomeravero Senecæ authoritates, quas vide si vis epistolis 3. 16. 45., & 49., in quibus habes, quod Ethica solum afferat homini utilitatem revera, dat enim bene, & beate vivere, cæteræ vero scientiæ ad hoc non attendunt, & ad id demostrandum refutat Dialecticorum Sophismata, concludens nihil utilis ervi ex hac pura fallacia, mus est syllaba, sed mus caseum rodit, ergo caseum rodit, & sillaba, ex quo dicit caseum

ſine his aſſervari, nec ullam ex eo nobis vel alteri utilitatem adferri; ſic etiam dementem vocat ad has fallacias attendentem, vel ad quæſtiones inutiles, quæ ſolent de anima agitari, & non incumbentem ad bonis moribus animum informandum. Quid juvat metheora indagare, quonam conficiantur pacto, & imbribus, nivi, ac fulmini ſubdi? Aſtronomi vias Cœlorum inquirunt, & quomodo ad Cœlos nos valeamus pervenire non docent. Phlioſophia naturalis naturæ perſcrutatur arcana, & tamē vix demonſtrationem conficit ullam, ſed in opinionibus ut plurimum jugiter ſiſtit: Una una eſt Philoſophia moralis, quæ veras docet animi dotes à Sathanæ paralogyſmis defendi, imbribus perſecutionum non ſubdi, vitiorum monſtra domare, virtutis arcem tueri, & cætera hujuſmodi, quæ hominem non modo ſcientem, ſed & bonum efficiunt.

Cebes Thebanus, Mercurius Triſme-

megiſtus, & Plato in eadem fuere ſententia, ut in Tabulis Cebetis modò adhuc extantibus in operibus Triſmegiſti, Platoniſque de hoc ex profeſſo tractantibus, unusquiſque legere quibit.

Auguſtinus libro de moribus Eccleſiæ reprehendit eos, qui deſertis virtutibus, naturæ inquirunt arcana, nec perquirere ſtudent, quantæ ſit dignitatis illa Majeſtas, quæ naturæ eſt haud quamquam ulli mutationi ſubjectæ, ipſius videlicet Dei: & ipſemet Auguſtinus in Epiſtola ad Dioſcorum concludit in Doctrina, & eruditione aberrare eos, qui quærunt, quænam ſenſerint Anaximenes, Anaxagoras, Democritus, & alij, & non quid ſit Deus.

Quæ diximus uſque modo, grano intelligenda cum ſalis, ut liquet ex auctoritatibus, quas mox adducemus.

Auguſtinus libro de vera Religione docet, quod in conſideratione creaturarum, quas docent Mathema-

ma-

matica, Philoſophia naturalis, Medicina, & Aſtronomia, non eſt exercenda vana quædam, & peritura curioſitas, ſed ex his gradus eſt faciendus ad ſupernaturalia, & æterna.

Joannes Chryſoſtomus oratione ſexta deteſtatur eos, qui alijs ſcientijs, & non Ethicæ ſtudent.

Epiſcopus Novarienſis in Athenæo teſtatur, quod illi, qui Philoſophiæ morali incumbunt, per labores aliarum ſcientiarum, Duce Ethica, perveniunt ad veram laborum metam.

Ex his omnibus valet illatio, quod ſcientiæ quævis non ſint ſuperfluæ, ſed ex his facienda ſit gradatio ad bona ſupernaturalia, ad quæ Ethica ducit.

Poeſis finxit in Cerbero tricipiti, in Acherontis fluvio, Radamanti judicio, Cociti fremitu, Iſionis rota, Siſyphi ſaxo, & Tantali pomo pænas, quæ parantur ijs, qui neglecta Ethicæ diſciplina ſolum attendunt ad luxurio-

riose vivendum, quæ omnia quam bene probat noster Loya in quinque Porticubus moralibus suis.

CAPUT SECUNDUM.

Quod Ethica addiscenda sit ante quascumque alias scientias.

Ethica dicitur à græca voce, ethos, quæ significat morem, ea enim est, quæ mores docet componere. In primis ergo opera erit danda ad bene componendos mores; si enim vitijs quis excæcatur, jam non poterit de facili perfectum lumen rationis habere, & cum mens erit hebetata luxu, vel crapula, non poterit veritatem attingere. Hinc antiqui Gentiles eadem collocarunt in Ara musas, & Herculem, ut ex hoc daretur intelligi, quod cum virtute significata per Herculem conjungendæ sint scientiæ demonstratæ per musas, & idcirco præterea musas, vel scientias in monti-

tibus altis, ceu Helicone, & Parnasso collocandas esse ij censuere, ut ex inde pateret, quod non nisi per labores, quos Ethica dictat, ad veritatis montem pertingere valeamus.

Salomon docuit in Proverbijs moralem, in Ecclesiaste Philosophiam naturalem, in Canticis Canticorum Philosophiam rationalem, seù contemplativam, quam bene Theologiam adhuc nuncupare poterimus, & per hoc Salomon demonstravit, quod prius debeamus attendere ad Ethicæ documenta, inde ad naturalis Philosophiæ aphorismos, & postremo ad Theologica dogmata.

Philosophia, quæ bene dividitur in moralem, naturalem, & rationalem, significata fuit per tres Patriarchas, Abraham, Isaac, & Jacob; nimirum per Abraham Ethica, per Isaac Philosophia naturalis, & per Jacob Logica, seù Philosophia contemplativa, vel rationalis. Quemadmodum inter hos tres Patriarchas primus est

Abra-

Abraham, ità inter omnes Philosophias Ethica primum obtinet locum, & hanc allegoriam benè prosequitur Loya in libro relato *tom.1.pag.275.*

Sunt, qui Encyclopediam scientiarum cõposuere, nempè scientias quascumque per modum circuli in unum junxere, & tunc in omnibus his primatum Ethica tenet, ut benè relatus Auctor *tom.2.pag.*1298.demonstrat.

Plutarcus in libro de Republica censet Philosophiam moralem esse ad omnes scientias necessariam; Preces itaque cum Davide ad Deum ferendæ *bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me*, videlicet primo bonitatem vitæ, seu bonos mores, secundo disciplinam, & scientiam, sed ei cum minerva admovenda est manus, & ne præstoleremur Ethicæ scientiam inspiratam à Deo, sed cum sudore adipiscamur eandem,

CA-

CAPUT TERTIVM.

Quod Philoſophia moralis ſit maximè ad Juriſprudentiam neceſſaria.

HOc eſt diſcrimen Ethicam inter, & juriſprudentiam, quod Ethica dictet, quomodo componendi ſint mores, virtutes debeant florere, vitia extirpari, & leges juſtè ſanciri; Juriſprudentia verò ad executionem horum omnium pergit, & quæ dictavit Philoſophia moralis, juriſprudentia, velut ancilla, filia, & miniſtra executioni demandat; Lex enim communiter definitur Sanctio ſancta, honeſta jubens, & contraria prohibens, Quandoquidem igitur Ethicæ eſt honeſta dignoſcere, ea eſt, quæ viam ad juriſprudentiam parat, neque ſcientia juriſprudentia erit, ſi legum cauſam reddere neſciat; Nam ſcientia eſt cognitio rei per cauſas, & qui neſcit rationem reddere de lege ſancita, ille vo-

ca-

cabitur idiota Legiſta. Ut hæc auctoritate probentur, placet quædam ex prophanis, quædam ex Sancto Patre Auguſtino proferre.

Seneca epiſt. 90. dicit Ethicæ propriũ eſſe de divinis, & humanis verum reſolvere, & epiſtola 16. monet, quod omnes ſcientiæ ab Ethica cõſilium deſumant, addens præterea epiſtola 75. quod omnes aliæ ſcientiæ, & artes ad ingenium pertineant, & una ſola Ethica eſt, quæ ad voluntatem benè componendam diſponat.

Plato epiſtola 10. quaſvis alias ſcientias diſtinctas à Philoſophia morali cenſet potius nominandas argutias, & elegantiam, quam ſapientiam; ſoli enim Ethicæ verè ſapientiæ nomen debetur, videlicet conſtantiæ, animi tranquillitati, cæteriſque virtutibus, cùm autem hæc omnia juriſprudentiam dictent, ex his benè deducitur, Eticham ad juriſprudentiam eſſe maximè neceſſariam.

Ulpianus dicit, juriſprudentiam ha-

habere Politicam, & moralem adnexas, neque quis poterit jureconſultus vocari, ſi non ab Ethica fuerit mutuatus tria illa principia, in quibus juriſprudentia fundatur; nimirum: *Neminem lædere, ſuum cuique tribuere, & quod tibi vis, alteri feceris.*

Joannes Acochier in Theſauro Politico *pag.* 222. dicit, quod juriſperitus debeat Ethicam callere, ut poſſit ejus, quam vult, legem ſervari, reddere rationem.

Joannes Baptiſta Januenſis Auguſtinianus *tomo* 6. Philoſophiæ *pag.* 202. dicit Philoſophiam moralem eſſe apprimè neceſſariam ad juriſprudentiam habendam.

Ægidius Columna Romanus, etiam Auguſtinianus in libris de Regimine Principum dicit, quod filij nobilium debent Ethicam ſcire, & maxime filj Regum, vel legislatorum aliorum, debent huic ſcientiæ operam dare, ut ſciant, quas leges condere debeant.

Auguſtinus ſermone 9. de verbis

Domini *cap.* 1. & 2. *tom.* 9. dicit, pueros vigilijs, & abſtinentia plurimum inſudare, ut ſcientias illas acquirant, quæ dant honores, & opes, nihil verò ad habendam Philoſophiam moralem, quæ dat benè vivere, & beatè. Idemmet Auguſtinus libro de vera Religione *cap.* 16. teſtatur, quod tota diſciplina morum fuerit tota Chriſti Domini vita, ex quò Chriſtus Dominus Legislator noſter is eſt, qui Ethicam docuit; Ethicæ ergo juriſprudentia jungenda, ut leges benè condantur.

CAPUT QUARTUM

Quod ſpecialiter ſit Philoſophiæ morali navandum.

SUmma quippe temeritas, velle Ethicam ſcire, dum non ſpecialiter ipſi navamus. Vix Sancti Patres quidam, qui in eremis degebant, eam à Deo docti fuere, nec propterea de-

ſtiterunt à ſtudijs Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, in quibus illam optime docebantur, vel ex vitis SS. Patrum, vel ex Chriſti vita, quæ tota fuit diſciplina morum, teſte Auguſtino relato libro de vera Religione, *cap.* 16., & ut advertit Auguſtinus 14. de Trinitate, auctoritate, & ratione utimur ad diſcendum. Cum ergo diſciplina à diſcendo trahat originem, non ſit, qui præſumat, dum non diſcit, Ethicam ſcire.

Juvat afferre auctoritatem Ægidij Romani *parte ſecunda lib.* 2. de Regimine Principum, ubi teſtatur, quod Deus intelligentias ab initio creavit benè aptas ad ſciendum, & intelligendum; hominem verò formavit, ita ut ſenſibus egeret ad intelligendum, & ſi Ariſtoteli *lib.* 1. de anima fidem præſtemus, majus eſt temporis ſpatium, quo inſudamus ad diſcendum, ac propterea in ignorantia verſamur, ac illud, quo ad ſcientiæ perfectionem venimus.

Augu-

Augustinus laudatus in *Psal.* 9. advertit, quod, qui non Philosophiæ morali incumbunt, excæcātur ad damnationem. Alludit Aug. ad id, quod in Psalmo prænarrato David dicebat de ijs, qui obliviscuntur Deum, ideſt Deum nō per moralem Philosophiam inquirunt. Lumine naturæ dumtaxat percipimus quædam prima principia Philosophiæ moralis, quæ tamen explicatione maxima indigent, & ideò humiliter audienda oretenus ex magiſtris; vel ſaltem ediſcenda in libris.

CAPUT QUINTUM.

De Origine, & Antiquitate Philoſophię moralis, & quomodo illa ad nos ſit demandata.

SUnt, qui putant Thaletem Mileſium Ethicæ inventorem, dum Cirus Perſas, Solon Athenienſes, Tarquinius Romanos, Lidios Creſus regebat; ſed valdè decipiuntur. Ethica

enim ab Adam originem trahit. Sapiens primus factus est homo, ut Augustini eloquar phrasi: omnes naturales scientias Adamo Deus infudit, & Adam ipse post pænitens verbo, & exemplo Ethicam docuit. Ab Adamo Mathusalem, à Mathusalem Noe fuit Philosophiam moralem edoctus; Mathusalem enim eodem mortuus est anno, quo diluvium universale successit.

Noè, ut probat in suis eruditissimis libris relatis doctissimus Loya, detulit ad Hispanos, & Italos hanc Philosophiam moralem.

Grassantibus vitijs, apud solos electos Judaici populi hæc scientia remansit, & ab ijs didicerunt adhuc Ægyptij. Moyses vero, qui erat in omni Ægyptiorum scientia valde versatus, ut in Actibus Apostolorum legitur, ipse docuit Philosophiam moralem, & sane per hieroglyphyca, quorum quædam reperiuntur fabulas inter Minervæ, Jovis, &c. sed ei populo

(si

(si Pentatheuchum exaratum à Moyse spectare velimus) reperiemus per hieglyphica Moisem ipsum Dei legem dedisse. Ecquid per prohibitionem comestionis carnis porcinæ intendit Moyses docere, nisi quod quemadmodum sus est luxuriæ symbolum, æque ac hieroglyphicum gulæ, ita vitia hæc luxuria, & gula, sint prohibenda.

Congruum erat sub illo tempore, quo veritas latitabat sub umbra, in hieroglyphicis veritatem exprimere; atqui adveniente temporis plenitudine, veritate ipsa Domino Jesu, quæ dixerunt Prophetæ, & male surripuerunt Gentiles, ea claris in verbis expressa fuere.

Moyses, qui probatur à Daniele Huetio in Demonstrationibus Evangelicis, fuisse Orpheus, mansuetissimus hominum, lenivit corda duræ cervicis Judaici populi, & hinc Poetæ finxerunt Orpheum lyra, & carminibus saxa traxisse, per hoc solum declarantes, quod ex Sacra Scriptura didice-

runt, Moyſen efferatos, & duros homines bonis moribus imbuiſſe. Hinc bene meus Mabillon in de Studijs Monaſticis edocet in Sacra Scriptura moralem omnem contineri.

Juvat tandem Sanctorum Patrum libros innuere, qui moralem diſciplinam præ oculis ponunt. Inter hos primus eſt Baſilius, qui ſcripſit libros morales: adde Sanctum Cyprianum, cujus extant tres libri nuncupati Quirino, & primi duo dant prima lineamenta fidei; tertius verò continet breve Compendium Ethicæ Chriſtianæ, quæ, quantum differat ab Ethica Ethnicorum, potes eruere ex tractatu Domini du eſprit de falſitate humanarum ſcientiarum, & Domini du Brois in egregio Proæmio, quod apponit ad nuperrimam traductionem officiorum Ciceronis.

Ne catalogum aliorum ſubſcribam, ſatis eſt adnotare, quod in libro Auguſtini, qui inſcribitur *Speculum tom.* 3. antiquæ editionis, tota mora-

lis,

lis quambenè contineatur.

Notandum prætereà, quod monet Augustinus laudatus libro 3. de Trinitate initio Prologi, ubi notat, quod multa ipse ignorabat, quæ didicit postea scribendo. Oleum, & operam perdit, qui memoriam non scribendo vult exercere. Ut itaque moralem adipiscamur, eligamus ex ipsa Sacra Scriptura mores, quos docet, ut fecit Athanasius, & laudatus Pater Mabillon monet faciendum, & scribamus hæc, quæ selegerimus.

Uno capite pestringamus, quæ de Proœmialibus Ethicæ Philosophi apud Scholas inquirunt.

CAPUT ULTIMUM.

Quodnam sit obiectum Philosophiæ moralis, quænam scientia sit Ethica, & quæ ipsius ratio sub qua.

OBiectum dividitur in materiale, & formale. Obiectum materiale

seù materia, circa quam,est illa materia, circa quam scientia versatur, vel illud, de quo scientia tractat. Certum est ergo obiectum materiale Philosophiæ moralis esse actus humanos, vel mores. Mores hic non sumuntur, prout sunt frequentes actus competentes etiam Brutis, sed prout sunt inclinationes hominis declinabiles tùm ad bonum, tum ad malum.

Objectum formale est illa ratio, quæ consideratur in objecto materiali, & quia Philosophia moralis tractat de actibus humanis, sive de moribus, ut corrigat illos, hinc est quod moralitas sit objestum formale Philosophiæ moralis; nomine verò moralitatis intelligitur illa conformitas, sivè difformitas ad regulas morum, seù ad bonum conveniens naturæ rationali; quod est idem, ac bonum honestum. Ethica docet hoc bonum, & ideò objectum formale Ethicæ est ipsa moralitas.

Ratio formalis sub qua Philosophiæ

phiæ moralis ſunt principia practica; de quibus ſupra, ſc. *Neminem lædere, &c.*

Scientia eſt cognitio rei per cauſas, & quia Philoſophia moralis docet, quare aliqui actus ſint virtuoſi, aliqui non, ideò ipſa eſt ſcientia. Quoniam verò ſcientia practica dicitur à græca voce *praxis*, quæ ſignificat operationem potentiæ diſtinctæ ab intellectu, & inter ea, quæ ſcimus, ut faciamus (ut loquitur Auguſtinus) Ethica numeratur, adeòque operatione potentiæ diſtinctæ ab intellectu, videlicet operatione voluntatis operatur, ideò Ethicà eſt ſcientia practica.

Ad Ethicæ praxim itaque deſcendentes, ſingulas ejus partes examinemus. Sit ergo.

QUÆSTIO PRIMA.

De Felicitate.

QUoniam Philoſophia moralis ad hominem felicem reddendum eſt inſtituta, de fœlicitate primitus eſt pertractandum. Si moralem monaſticam ſpectes, ea perſonas privatas, virtutibus reddit fœlices. Si moralem æconomicam conſideraveris, eam eſſe comperies, quæ per œconomiam familias reddit felices. Si denique Philoſophiam moralem Politicam nominatam reſpicias, pro certo habueris præceptis Politicis urbes reddi fælices. Sit ergo.

CAPUT PRIMUM.

Quid, & quotuplex ſit fælicitas.

FÆlicitas ex Boetio *lib.* 2. de conſolatione philoſophica. proſa ſecunda eſt ſtatus omnium bonorum aggre-

aggregatione perfectus, & ex Tullio tertio quæstionum Tusculanarum est secretis malis cumulata bonorum possessio. Cum ergo bona omnia aggregata in unum possidentur perfectè ab illo uno, & cum mala quælibet secernuntur, seù separantur ab illo uno, tunc beatitudo habetur ab illos.

Oportet adnotare differentiam, quam in libro differentiarum Isidorus Hispalensis affert inter beatum, felicem, honestum & fortunatum.

Felix est ille, qui vel sibi, vel alijs felicitatem, sive prosperitatem dat.

Beatus, quasi bene auctus, est ille, qui est sibimet felix.

Honestus est is, qui moribus felicitatem acquirit.

Fortunatus, qui per substantiam, nempe opes, & similia prospere vivit.

Dividunt Theologi, & Philosophi felicitatem in formalem, & objectivam. Felicitas objectiva est illud, quod reddit hominem fælicem. Felicitas formalis est actus ille, quo vera

pos-

possidetur fælicitas.

Maxima est controversia in Philosophia Naturali, & in Theologia Scholastica, & in Dogmatica, in quonam consistat ultima fælicitas hominis, seù ultimus finis, & Augustinus 19. de Civitate Dei *cap.* 1. monet Varronem ducentas octogintaocto excogitasse sententias, in diversis probantes felicitatem consistere. Atqui; ne extrà aleas ludamus, non attingemus, nisi ea, quæ ad mores conducunt.

Sudarunt usque modo Theologorum, & Philosophorum ingenia, ad reperiendum aliquam demonstrationem, quæ verè convincat fælicitatem objectivam esse solummodo Deum. Angelicus Doctor, præsertim prima parte quæst. 2. quinque adfert demonstrationes, ad demonstrandum existentiam Dei, & ipse maximè consonam censet primam, quàm habet desumptam ex ratione primi Motoris, sed hæc maximas patitur difficultates, nec usque modò aliquis efforma-

vit

vit argumentum, quo Athei valeant convinci, impediente argumentorum vim, cum eorum hebetudine, tum potissimum eorum obduratione, ut patet ex sequentibus, & ipse ingeniosissimus Caramuel in Pandoxion Physico Ethico hanc rationem impugnat; & adducit aliam, quam, & impugnant quàm plurimi, & in Theologia naturali Theophili Raynaudi censentur plurimæ rationes Philosophorum, atque Theologorum tendentes, ad probandam hanc existentiam Dei, seù ultimi finis, & omnes refutantur ab ipso, & quas ipse insolubiles censet, confutantur in Theologia dogmatica ab alijs; sed non est hic locus, nisi hæc innuendi. Remanet ergo, ut solummodò probemus felicitatem hominis per ea, quæ inquirere debet moralis, non per ea, quæ sunt in quæstione apud Theologos, etiam Catholicos; cum & plurimi tueantur dari posse processum in infinitum, mundum posse esse ab æterno, vel ipsum motum, & ali-

& aliqua esse, quæ moveant se ipsa, tametsi non moveantur ab alio. Contrà Atheos sit.

ASSERTIO PRIMA.

Lumine naturali patet homini virtute prædito, solum Deum esse felicitatem objectivam, seu ultimum finem.

PRæmitto, me non hic dogmaticum agere, nec proinde decenter esse excurrendum ad Atheos convincendum, sed supponere cum Anselmo in libro adversus insipientem, Deum esse summum bonum, quo majus excogitari non potest, & primam intelligibilem veritatem esse.

Præmitto secundo, hominem à Deo taliter conditum, ut valeat suum finem attingere, & sic posse pervenire ad sui centrum Deum, quod est ultimum satiativum, ut benè probant Theologi.

Pro-

Probatur ergo primò assertio præjacta: sapientia illa, de qua Salomon ait, quòd fortiter, & suaviter omnià disponat, itàut unusquisque suum finem attingat, sapientia, inquam, Deus hominem taliter condidit. ut possit ad felicitatem pervenire, sed nemo potest ipsam attingere, nisi sit virtutibus moralibus præditus: ergo Deus taliter condidit hominem, ut si virtutibus excellat, ad sui valeat beatitatem venire. Major est certa, quia omnia ejus opera sunt valde perfecta, nec perfectum est opus, quod suum non habeat centrum, seù ultimum finem. Lapis quiescit in centro: equus hordeo, bos fæno quiescunt. Homini tamen est unicum centrum Deus, ut de fide suppono. Probatur minor, Virtus definitur, vel à Peripateticis cum Aristotile 2. Ethicorum habitus, qui bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit; vel cum D.Thoma qualitas, qua bene vivitur, & qua nemo utitur male: quòd si hæ

Scho-

Scholarum definitiones Recentioribus displicent, placet remotis habituum, & qualitatum vocabulis, quæ Recentiores derident, & non est hujus loci firmare, placet cum Recentioribus ipsis definire virtutem; vel lumen, vel Endelechiam, seu vim facilitantem potentiam ad benè operandum. His præsuppositis, sic probo datam minorem: Qui habet virtutes morales, habet potentiam volitivam, seu voluntatem sic benè dispositam, ut valeat ad sui objectum pervenire, & in ipso quiescere: Potentia visiva tunc dicitur sana, quando organa sunt sic benè disposita, ut nihil impediat, quin visibile, ad quod cognoscendum est efformata, valeat videre. Si humor aliquis, puta in pupilla, impediat potentiam visivam, certe non sana erit ipsa potentia. Quod de potentiis naturalibus diximus, id de liberis est tenendum. Si voluntas hominis sit præoccupata, vel præjudicata ab amore boni creati, certè non poterit sine

vir-

virtute,habitu qualitate, lumine,endelechia facilitante voluntatem ad summum bonum attingendum; si autem cum virtute velit adinvenire bonum aliquod,in quo tandem quiescat,nihil est, quod valeat ipsam potentiam volitivam impedire, quin suo quiescat, & saturetur in ultimo fine.

Probatur secundo,quia in tantum potest aliquis aliquod bonũ amare,in quantum considerat aliquam rationẽ boni in bono,quod amat,contradistinctam à Deo; sed qui habet virtutem moralem, ut videbimus infrà, habet voluntatem sic benè dispositam, ut nõ impediat,quod intellectus omne bonũ in Deo esse cognoscat;ergo non potest alio trahi à bono,cum ad hæc intellectus reflectit; ergo &c. Constans est Theologorum, & Philosophorum assertio, qua unusquisque tuetur, non posse voluntatem nostram relicto bono majori clarè viso minus bonum amplecti. Triplex est bonum, quod voluntas potest amplecti, scilicet de-

lectabile,utile,& honestum,sed hæc omnia tria bona cũ voluntate hominis virtutibus moralibus præditi mẽs cognoscit esse in Deo,& sane meliori forma,si quidem eminenter,seù depuratis imperfectionibus; ergo volũtas hominis virtutibus moralibus præditi, non potest, dũ virtuosè moraliter agit, seù in sensu composito, ab alio, quam à summo bono Deo allici, & trahi.

Probatur modo, quod omne bonum, tum delectabile, tum utile, tum honestum reperiatur in Deo, & primò quidem de delectabili. Delectatio, prout (dicit. D. Th.) contradistinguitur à Delectatione brutorum, & dicitur in homine gaudium, est quies potentiæ in objecto, ad quod tendebat, prout consonat rationi.De hac delectatione exclamamus ad Deũ: delectationes in dextera tua usque in finem,& Apostoli ibant gaudentes, ob delectationem ex virtute potentiæ procedentem;virtus enim moralis dat promptè, faciliter, & delectabiliter ope-

operari, ut infra ostendetur. Sed solus Deus, utpotè dictans, quod est rationi consentaneum, potest hominem sic delectare; ergo &c.

Utile definitur, quod est accommodatum cum fine. Hinc virtus est via ad præmium, & utilis ad consequendum ultimum finem, seu felicitatem, & bene monet Aristoteles primo Ethicorum, quod felicitas est præmium virtutis; Via ergo ad felicitatem virtus, sed sine Deo consequi felicitatem non possumus; ergo utilis Deus; ergo &c.

Honestum ex Isidoro dicitur, quasi hominis status, scilicet honore dignum; ex quibus omnibus, constat utile omne, & honestum coadunari in Deo, à quo omnis virtus ducens ad ipsam felicitatem, & cui soli omnis debetur per essentiam honor, & solum per participationem habenti virtutem moralem, vel honestum; ex Tullio enim virtus confunditur cum honesto; siquidem ipse Tullius dividit

honestum in quatuor virtutes principales, æque,ac dividitur ipsa virtus in genere. Ipsemet citatus Tullius dicit, quædam esse bona, quæ voluntatē trahunt, & alliciunt, inter quæ virtus, scientia, &c. ergo Deus summum bonum voluntatem trahit, non nisi tamen illius, cui verum dat virtutis habitum moralem.

Probatur tertio, & ultimo: Deus est prima veritas, quæ est objectum intellectus, non fingentis, sed intelligentis, scilicet intus legentis, seù essentiam penetrantis, atqui solum homo virtutibus præditus, & non excæcatus à vitijs potest hanc primam veritatem agnoscere, & in eo felicitatem omnem collocare; ergo solus homo virtutibus moralibus præditus, seù non excæcatus à vitijs, potest cognoscere hanc primam veritatem, & quiescere, seù felicitari in ipsa. Probatur minor, quia solus insipiens dixit in corde suo, non est Deus; sed rationis usum habens cognoscit pri-

mam

mam causam, & primam veritatem, & omni nationi patet hæc prima veritas, dum homo non est excæcatus à vitiis, juxtà illud Authoris inter opera Prosperi.

Quâ jacet extremo Tellus circumdata Ponto,
Et quâ gens hominum diffusa est corpore mundi,
Seù nostros annos, seù sæcula prisca revolvas,
Sensere omnes esse Deum, nec defuit ulli
Authorem natura docens

Si ergo est homini ingenita, & inseminata, ut utar verbis Damasceni, notitia Dei, seù primæ veritatis, concludendum est, quod in solo homine vitiis excæcato tale lumen deficiat.

Obiicies primò cum Heraclito: Possessio rerum temporalium potest stabilire statum omni aggregatione bonorum perfectum, adeòque felicitatem ipsam taliter cum Boetio definitam.

tam. Probatur antecedens ex Aristotele primo Ethicorum cap. 5. omnia pecuniis possidentur, & Ecclesiaste 10. pecuniæ omnia obediunt; ergo &c. sed habens virtutes morales, ut plurimũ his omnibus indiget; ergo dicẽdũ, quod virtutibus moralibus præditus non possit felicitatem acquirere.

Respondetur bona temporalia aliquando conducere ad felicitatem, aliquando deducere ab ipsa. Sola virtus est illa, qua nemo malè utitur; bonis autem temporalibus quisquis benè utitur, potest ea habere, tamquam media ad habendum ultimum finem, & de facto divitiæ potius delectant distribuendo, quam possidendo, nec homo rationis compos divitias quærit, ut eas semper absconditas habeat, sed, ut utatur eisdem. Non ergo divitiæ sunt ultimus finis, sed medium ad consequendum illum; ac proinde ad felicitatem conducunt.

Ad id, quod relatum est ex Aristotale; Respondetur possideri, pecuniis omnia

omnia bona, quæ venduntur, non verò omnia bona, quæ ad fælicitatem proximius conducunt; vel sunt ipsa fælicitas. Quod dicitur Ecclesiaste 10. intelligitur pariter de ijs; quæ sunt venalia, vel de hominibus avaris, qui pecuniæ obediunt, non verò de ipsis hominibus virtuosis, sive virtutibus. Virtus est sufficiens præmium sibi ipsi, quatenus felicitatem objectivam inducit.

Objicies secundo: Exodi primo dicitur: *Dijs ne detrahas*, quod intelligunt Expositores de ijs, qui regimine, vel potentia præsunt, sed virtus moralis non dat regere, nec potestatem, & vidimus plerumque homines nulla virtute ornatos ad imperium assumi, regimen, & potestatem; ergo lumine naturali patet felicitatem objectivam, non in Deo, sed in potestate, & imperio consistere.

Respondetur ex dictis erui dumtaxat potentiā efficere homines similes Deo, sed similitudine majori assimilantur

hominesDeo ratione virtutis moralis? Præterea Seneca inquit, quod Deus conditor orbis potentiam, & odium posuit simul, ad hoc, ut innueret, potentiam, & imperium odium sibi conciliare sæpissime. Quænam autem felicitas in odii seminario?

Objicies tertio: felicitas, ut sit talis, debet omnia bona simul continere; sed his omnibus solent virtuosi carere; ergo per virtutem non pervenitur ad felicitatem objectivam Deum. Major patet tum ex definitionibus datis ex Boetio, & Cicerone, tum ex varijs exemplis, quæ omnia possunt exprimi in desiderio Lucij Metelli, qui decem desiderabat, scilicet esse Imperatorem fortissimum, fortunatissimum augurem, præclarissimum sapientem, summè honoratum, maximum Senatorem, primum bellatorem, filios relinquere plures, esse oratorem eloquentissimum, invenire magnos Thesauros sine fraude, & bonò modo, & esse clarum in Civi-

ta-

tate. Hæc omnia, ut mente retineas; hæc tibi carmina dono.

Imperio, Augurio, Sapientia, Honore, Senatu.
Bellator, Pater, orans, Dives, Notus in Urbe.

Respondetur hæc omnia, ut infra patebit, esse adminicula fælicitatis huius vitæ. Pro plena argumenti solutione satis erit advertere, quod laudato Lucio Metello quævis decem relata feliciter evenerunt, juxta id, quod optarat; nec tamen perinde felicitatem invenit, cum enim illa omnia habebat, appetebat perseverare in ijs, quod non fuit illi concessum, nec per virtutem moralem poterat quietem reperire, qui virtute morali carebat, ut suppono ex Theologia, in qua cum Augustino, concluditur nullam veram perfectam virtutem moralem in Gentilibus extitisse, sed sit.

AS-

ASSERTIO SECUNDA.

Felicitas formalis in hac vita habetur per amorem Dei, ut fontis totius virtutis, & honestatis.

PRobatur primo ex D. Thoma prima parte *quæst. 82. art. 3.* melior est amor eorum, quæ sunt supra nos, quam cognitio eorum, sed solum per amorem fontis virtutis, & honestatis habemus amorem Dei, qui est supra nos, ergo per hujusmodi amorem habemus quid melius omni eo, quod potest haberi in hac vita, & ipsa Dei cognitione, atqui felicitas consistit in hoc, quod est habere aliquod, quo melius excogitari non potest; ut notavimus cum D. Anselmo, ergo felicitas formalis, seu actus ille, quo possidetur felicitas objectiva, consistit in amore Dei, &c. ut supra.

Propositio D. Thomæ patet; sed

& probatur, quia fælicitas eſt conjunctio potentiæ cum ultimo fine, ſed in hac vita non poſſumus habere aliam conjunctionem cum Deo, vel cum ultimo fine, quam conjunctionem per amorem, ſeù unionem affectivam, ergo melior eſt in hac vita amor Dei, quam cognitio ipſiusmet Dei, & hinc eſt, quod ordo Seraphinorum ſit perfectior ordine Cherubinorum, quia Seraphim dicti ſunt ab ardore, ſeù ab amore Dei, quando erant in via, nempe, antequam aſſequerentur beatitudinem; & quia tunc expediebat Deum amare, pluſquam illum cognoſcere, ideo illi Angeli, qui magis amaverunt Deum in via, præpoſiti ſunt ijs, qui cognoverunt Deum, tametſi plenitudine ſcientiæ, unde ortum habet hæbræum Cherubim nomen.

Probatur ſecundo: Fælicitas debet conſiſtere in aggregatione omnium bonorum, ſecreta quavis afflictione, unde felicitas formalis eſt poſſeſſio talium bonorum, ſed ſolum per Dei amo-

amorem modo superius explicato possumus consequi sine afflictione quælibet bona; ergo fælicitas formalis, in hac vita habetur per amorem Dei, ut fontis totius virtutis, & honestatis. Probatur minor, quia in Deo sunt omnia bona eminenter, scilicet depuratis imperfectionibus, ut loquuntur, & probāt Theologi, ac solus ipse potest quietare, & satiare hominis appetitū, ut nulla ipsi remaneat afflictio. Probatur secunda pars, quia si appetitus hominis habeat, quidquid appetit, tamen semper angitur ex defectibilitate ipsius: puta si cum Euripide pulchra uxore dixerit se reddi beatnm, dolet ex canitie, quæ deturpatura est ipsam; si cum Crysippo ædificijs amplis, terræmotus timet; si cum Epicuro, Aristippo, & Cyrenaicis voluptate corporis se credat felicitandum, dolorem percipit ex morbis, quos inde prævidet se contracturum, si sapientiam, vel virtutem, vel ideam cum Platone, tamquam ultimum finem desi-

de-

deret,anxietatem concipit,ex eo quod corporis infirmitate poterit, vel ipsam sapientiam,virtutem phisicam,& ideam deperdere. Una virtus moralis ea est,quæ satiat hominis appetitum, nam licet possit ipsa deperdi, attamen quietat voluntatem,quæ, amore amati fontis virtutis, & honestatis, delectatur ex eo, quod in ejus sit potestate illam deperdere, vel non. Qui amicos amat terrenos, affligitur ex eo, quod veretur quandoque, ne amicus evasurus sit infidelis, sed qui Deum amat, ut fontem totius honestatis, & virtutis, quiescit in eo, quem scit ipsi servaturum fidem, si prius ipse non dereliquerit Deum.

Dices hoc est asserere virtutem moralem correspondentem charitati perfectæ, ergo, &c.

Respondetur amicitiam virtutem moralem satis esse ad causandam felicitatem naturalem, eo modo, quo dicunt quidam Theologi (quibus ego non adhæreo) pueros dece-

den-

dentes sine baptismo post diem judicij, habituros fælicitatem naturalem, & dilecturos Deum, ut authorem naturæ, nec inde percepturos aliquam afflictionem ex impotentia habendi felicitatem supernaturalem: habebunt enim in eorum Theologorum sententia, & felicitatem naturalem, & uniformitatem cum voluntate divina.

Præterea non possumus admittere propositionem vigesimamnonam in Quesnelio damnatam, asserentem, quod extra Ecclesiam nulla concedatur gratia; ex quo fit, quod qui habet virtutem moralem amicitiæ, amando Deum, ut Authorem naturæ, habiturus sit gratiam, qua vel tandem deveniat in fidei cognitionem, usque dum possit salvari, ut sentit Angelicus, vel eo tempore, quo habet hujusmodi virtutem, habet bonum in quo quietatur.

Probatur tertio ex Anselmo *lib. 2. cur Deus homo; Perversus ordo est amare, ut intelligas: rectus est ordo* n-

intelligere, ut ames; ergo ultimus finis hominis debet esse amor boni, quo majus excogitari non possit. Probatur autem, quia ordo operantis propter finem, debet esse ordo rationalis, & propterea debet ponere media, quæ conducant ad assequendum finem, & non assumere media ipsa pro fine; medium autem, quod conducit ad amorem Dei, est intellectio Dei. Si enim Deum non intelligas, nec ipsum quibis amare; Mystica enim docet Deum, non discurrendo, non tamen non cognoscendo, quandoquidem nihil volitum, quin præcognitum (tametsi aliqui Recentiores in hoc difficultatem sentiant, sed non est hujus loci hos impugnare) si ergo intelligimus Deum, ut ipsum amemus, jam ponemus medium opportunum ad assequendum finem, at si amemus in hac vita Deum, ut in hac vita Deum intelligere valeamus, nec ordinate procedemus, nec voti erimus compotes.

Dices ex Aristotele 10. Ethico-

rum

rum Intellectus est altissima potentia animæ, ergo magis in intellectione Dei, quam in ipsius amore poterit anima felicitatem habere.

Respondetur dictũ Aristotelis intelligendum hoc pacto, quod ratione objecti universalioris intellectus sit potentia altior, quàm voluntas, & ideo Thomistæ bene defendunt in patria haberi beatitudinem per intellectionem Dei, vel primæ veritatis, complectentis tamen etiam rationem boni; atqui, quoniam in via non potest quis talem veritatem intuitivè attingere, erit miserrimus semper, si velit sapere, plusquam oporteat sapere, & studiositatem non fugiat, nempe vitium illud, quo aliquis plus studet, quàm debet studere. Quisquis ergo virtute morali præpollet, habet virtutem ipsam, adhuc studiositatem dictam, qua studet, quantum debet studere, & delectatur simili studio, delectatione consequente ad ipsam virtutem, ut in quæstione sequenti de virtutibus ostendemus.

Ob-

Objcies primo ex Aristotele 10. Ethicorum *cap.* 2. ridiculum est quærere, cur quis velit delectari; ergo delectatio, sive voluptas est illud, quod homo ultimo quærit; media enim quæruntur, ut habeatur ultimus finis, quæritur autem ultimus finis per se ipsum, ergo felicitas consistit in voluptate.

Respondetur textum Aristotelis intelligendum sano modo, nempè, quod delectatio sit quid consequens operationem. Natura enim operationi delectationem conjunxit, ut delectatio magis alliceret ad operandum, & ideò maximam in venereis delectationem apposuit, ut homo generationi attenderet naturæ maximè necessariæ, atqui hæc operatio non in omnibus debet ut ultimus finis constitui, sed in brutis puta, & in homine per id, quod habet commune cum brutis, in actibus illis; prout homo vero supra quævis extollitur, operationem, ultimum finem, amorem Dei ut supra,

 de-

debet inquirere, & ità beati.

Objicies secundo : bene dixit Hiero cum Diodoro felicitatem omnem consistere in privatione doloris,& consequenter in apprehensione de sanitate juxtà illud Augustini lib. de bono conjugali, in quo asserit meliorem esse sanitatem, & habere staturam Zacchæi, quam sine sanitate habere staturam Gigantis.

Respondetur hæc omnia solum probare, quod bona sit Sanitas, non tamen, quod felicitet voluntatem humanam, quæ non potest reperire quietem, nisi in illo, quod ità proprium est hominis, ut non sit commune cum brutis, quemadmodum sanitas, & doloris carentia.

Objicies ultimò summè delectantur homines, dum se pulchros esse considerant,undè narratur de Narcysso, Acanto, & aliis eos transformatos in flores, ad denotandum quod propriæ pulchritudinis delectatio mortem illis intulerit, ut vehementes de-

le-

lectationes consueverunt efficere, & certe benè Virgilius 5. Æneidos cecinit.

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus:

Respondetur fabulosam felicitatem posse in tali felicitate consistere, cæteroqui, qui veram vult beatitudinem, non eam quærit in re, quæ est apta membrorum compositio cum suavitate coloris, & propterea facilè destruibilis, nec in hominis potestate est, ut habeatur; cum ipse nempè Deus fecerit nos, nō ipsi nos fecerimus. Psal. 99. *ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

CAPUT SECUNDUM.

De Adjutoriis Felicitatis.

EX dictis jam patet bona externa non pertinere ad essentiam felicitatis, sed adhuc est quæstio, num illa conducant ad felicitatem habendam, vel deflectant ab ipsa. Stoici

cum Seneca derident felicitatem Peripateticam, quæ adſciſcit bona externa, tamquam adjutoria ipſius; ſed pro ſolutione ſit

ASSERTIO

Bona externa ſunt adjutoria felicitatis in homine Politico, non verò in perſona privata.

PRobatur prima pars, quæ eſt Ariſtotelis primo Ethicorum cap. 8. quia bona externa deſerviunt ad defendendam Rempublicam, & ad exercendas virtutes, quæ Reipublicæ ſunt neceſſariæ. Certe magnanimitas non poteſt, niſi inter honores haberi; nec juſtitia diſtributiva ullo modo relucet in eo, qui non poteſt diſtribuere præmia, Temperantia utique magis dictatur exemplo ejus, qui inter convivia ſobrietatem conſervat, quam inter miſerias. Magis profuit Ægypto ditiſſimus Ptolomæus, qui, & libris, & pla-

& planiſpherio, cœliſve mirabili virtute,& ſummo pretio artefactis,aſtronomiam docuit, quam Diogenes in dolio, vel Demetrius mendicans.

Gymnoſophiſtæ poterant inter convivia ſobrietatem docere, nõ cinici.Philotimia,quæ eſt ordinatus amor honoris, poteſt obedientiam à ſubditis expectare; ſi tamen, qui imperat, ſui honorem non curet, vix habebit ullum, qui ei velit parere.

Probatur ſecunda pars, quia bona externa tunc bona ſunt,ut vidimus, quando diſtribuuntur, & quis benè utitur eis, ſed perſona privata non habet, cui diſtribuat, niſi ſit pars Reipublicæ, ſive homo Politicus. Qui enim ſibi vivit, contentus, eſt paucis, & poteſt quieſcere in animo prono ad virtutes; poteſt enim ex D. Th. quis liberalitatis virtutem habere, habendo propenſionem ad largiendum,ſi habeat, ergo tota felicitas poteſt ſine bonis externis ab homine conſiderato non ut parte Reipublicæ haberi. Reſ-

publica enim etiam ex personis privatis componitur; non tamen ex iis, qui vivunt soli, & separati in mundo.

Objicies primo non potest felicitas hominis haberi ab iis, quæ à casu, & fortuna dependent; sed bona externa à casu & fortuna dependent, igitur non potest à bonis externis haberi felicitas,

Respondetur bona fortunæ non esse ex cæca quadam deitate, ut fabulatur antiquitas, sed esse à provida Dei sapientia, quæ, tametsi videatur quandoque indignis hæc bona largiri, revera tamen bene dispensat unicuique, vel digno in præmium veræ virtutis, vel indigno, ut Dei providentiæ obligatus, resipiscere tandem excogitet. Felicitas itaque hominis est adjuta bonis externis, quæ quando à Dei sapientia immittuntur, tunc beant animam gratias Deo naturæ authori referentem, cum verò denegantur, tunc remanet essentialis felicitas, quæ (veluti probatum est) consistit

sistit in amore fontis totius virtutis, & honestatis, qui amor, non à fortuna, sed à propria hominis voluntate liberè emanat.

Objicies secundo, etiam homini privato, non, ut parti reipublicæ æstimatur, quod bona externa adeò sint necessaria, ut quisquis caruerit illis, nullimodè possit fælicitatem habere; quia donec anima est in corpore cum intelligendo, tum in amando pendet à corporeis organis, quæ servari non possunt sine bonis externis.

Respondetur fælicitatem servari essentialiter adhuc inter miserias, inter dolores, inter angustias, vel enim dolores animam à corpore separant, & tunc prædictus amor, & habitus virtutis quicumque cum anima à corpore separati animam fæliciorem reddunt, ut advertit Thesaurus in morali Philosophia, vel ut ipsemet addit, dolores recedunt, & anima se feliciorem existimat ex reportata

victoria, quia doloribus perseverantibus ipsis anima intra se colligit totam, & tanquam in suæ innocentiæ arcą secura dolores non sentit, vel si corpore sentit, non anima se intelligit miseram.

CAPUT ULTIMUM.

De Proprietatibus Felicitatis naturalis.

QUinque numerantur proprietates fælicitatis naturalis, scilicet primo summa voluptas, secundo summus honor, tertio perpetua inamissibilitas, perpetuitas nempè indefectibilis, nisi quando voluerit ipsa voluntas perdere habitum virtuosum, quarto vita summè beata, quæ, licet videatur confundi cum ipsa felicitate, tamen fælicitas ipsa non est; quia fælicitas dicit aliquid commune cum corporibus; habent enim etiam corpora suam propriam fælicitatem; jumen-


menta enim delectantur ex cibis convenientibus illis, non ita homines, qui solum actibus internis satiantur. Quinta proprietas fælicitatis est se sola esse contentam, seù sibi soli sufficere.

Breviter de primis discurremus: Summa voluptas non constituitur per delectationem sensitivam, sed per delectationem congruam naturæ rationali. Rationalia enim utuntur delectatione sensitiva solum, ut condimento, non tamen, ut cibo, quemadmodum animalia irrationalia in sensitiva delectatione ultimum adinveniunt finem. Ex Aristotele primo Ethicorum capite octavo bona optima homini sunt bona animi, & in ijs maximè anima voluptatem adinvenit.

Summus honor est summa illa æstimatio, quæ personæ debetur; & homini virtuoso, ut notat ipse Aristoteles, non solum debetur honor, sed etiam laus, nam laus respicit actiones; honor verò personas; Hinc

Deo

Deo magis convenit honor, & adoratio, quam laus; si enim Deus non ageret ad extra, tam pulchra creando, etiam esset summè felix, quia contemplaretur seipsum, & seipsum amaret. Unde laus ipsi debetur ex operibus ad extra, eaque non haberetur, si Deus nihil extra se poneret; sed benè haberetur summus honor, quia adhuc esset persona digna, quam unusquisque honorare deberet, si esset in rerum natura.



QUÆ.

QUÆSTIO SECUNDA:

De Virtutibus.

CAPUT PRIMUM:

Quid sit virtus.

ASSERTIO PRIMA:

Virtus est habitus electiuus consistens in medietate quo ad nos, determinata ratione, prout sapiens dictaverit. Est Aristotelis.

UT hæc firmetur assertio, operæ prætium est prænotare, quod tria sint principia operandi, scilicet potentia, passio, & habitus, quoniam virtus est principium virtuosè operandi, ideo videndum est, quænam ratio principij, ipsi conveniat, quapro-

propter dicendum erit, quid sit potentia, quid passio, & quid habitus, ut inde colligi valeat; inter quænam principia virtus sit collocanda? hinc

Præmitto primo, quod potentia sit principium eliciens operationem, sic voluptas dicitur potentia, quia elicit volitionem. De quidditate, & numero potentiarum spectat ad Animasticam pertractare. De passionibus autem debet Philosophus moralis plenè discurrere, & ideò de virtutibus, virtus enim moralis est, quæ regulat passiones animi.

Præmitto secundo *Passio* est motus inclinans, & excitans potentiam ad operandum. Duplex est potentia appetitiva in homine, scilicet concupiscibilis; & irascibilis. *Potentia concupiscibilis* est ille appetitus, circa bonum, qui inclinat potentiam concupiscibilem ad sui objectum, nempè ad bonum. Tres passiones dantur, videlicet amor, desiderium, & delectatio. Quoniam vero ipsa potentia appeti-

petitiva non potest consequi semper bonum, quod concupiscit propterea dantur tres passiones circa malum retardans à consecutione hujusmodi boni, scilicet odium, fuga, & tristitia.

Amor itàque est illa complacentia de bono, quod amatur.

Desiderium est motus, vel conatus ad bonum, quod quis consequi amat.

Delectatio est quies, vel unio cum objecto amato, quod quis est consecutus.

Odium est displicentia de malo, retardante à consecutione boni.

Fuga est conatus, vel displicentia, cum motu detestante illud malum, quod quis odio habet.

Tristitia est ille motus, quo quis se affligit, & perturbatur ex malo, quod fugere nequit.

Appetitus irascibilis est datus homini ad propugnandam potentiam concupiscibilem. Quia enim homo non potest semper consequi bonum,

quod

quod concupiſcit, ideò conatur illud conſequi bonum. Pro tali conatu quinque ſunt motus, vel paſſiones, quibus anima cum potentia appetitiva conatur conſequi bonum, vel vitare malum. Eæ autem paſſiones ſunt ſpes. & deſperatio, Timor & Audacia, & Ira.

Deſperatio eſt, quando potentia intellictiva, vel volitiva appetitiva non invenit modum, vel medium conducens ad conſequutionem boni.

Audacia eſt motus ad illud medium arduum, & difficile, quod quis petit aſſumere ad conſequendum bonum.

Timor eſt motus, quo aliquis non valet modum, vel medium excogitare, valens ipſum retrahere à malo; unde accidit talis motus.

Ira eſt motus, vel paſſio, qua quis conatur vindictam ſumere de eo, quod impedit conſecutionem boni.

Præmitto tertio: Habitus eſt diſpoſitio potentiæ ad operandum bene,

ne, vel male. His præsuppositis. Probatur conclusio, quoad primam partem. Virtus non potest dici potentia; quia virtus non est à natura indita, ut v. g. voluptas, vel potentia visiva, neque est passio, quia, ut bene advertit Aristoteles; passio est naturalis, & non sponte, nec digna laude vel vituperio. Non enim censentur digni laude, qui irascuntur, sed qui irascuntur, quando debet irasci; ergo virtus est habitus.

Probatur secunda pars, scilicet quod virtus sit habitus *electiuus*, quia hic agimus de virtute morali, quæ est dispositio voluntatis ad volitionem optimam, quæ etiam fit per electionem optimam, & non à casu; nec naturaliter.

Probatur, quod virtus sit in medietate consistens; nam virtus opponitur vitio per excessum, & defectum, & quemadmodum attingere medium signi quæsitum à Sagittario, & invenire medium centri cum Mathemati-

co

co difficillimum eſt, ita etiam virtuoſe agere de difficili habetur, quare pauci ſunt, qui medietatem attingunt.

Addit Ariſtoteles, *quoad nos*, ad exprimendum duplex dari medium. *Medium rei* eſt illud, quod revera ſervat æqualem receſſum ab utroque extremo, & qui hanc ſervat proportionem, dicitur ſervare proportionem arithmeticam, quemadmodum numerus, qui pariter recedit à numero inferiori, & à numero ſuperiori; v. g. ſex inter duo, & decem per quatuor diſtans à 2., & per quatuor accedens ad numerum denarium.

Medium, quoad nos eſt, quod ſervat proportionem Geometricam, nempè non habet omni modam æqualem diſtantiam ab extremis, ſed aliqualiter ſervat diſtantiam eandem, ſic ſunt 9., & 6., & 9., & 4., qui dicunt proportionem ſexquialteram, nam quemadmodum ſex continet quatuor, & medietatem quaternarij, ſic etiam

no-

novem continet sex, & medietatem Senarij.

Apponitur ab Aristotele illa particula *determinata ratione*, quia ratio debet determinare medietatem illam, quæ constituit virtutem; nomine autẽ rationis Ethici intelligunt cognitionem rerum, & scientiarum naturalium.

Quod in definitione demum adijcitur, *prout sapiens dictaverit*, designat determinationem, vel dictamen habendum à sapientibus, & non à propria uniuscujusque voluntate, ubi adverte, quod nomine sapientis hic non intelligitur, qui cognoscit per causas altissimas, ut sapiens à Theologis definitur, sed intelligitur prudens.

Nota nomine habitus hic nolle me controvertere, num intelligatur qualitas quædam, vel affectio disponens ad bene, vel male operandum, ut Peripathetici in Metaphysica probant, vel sit quoddam vestigium impressum in potentia, vel in organo

corporeo consistente in quibusdam fibris tenuibus, & partibus subtilibus, ut recentiores contendunt, sed satis mihi est affirmare quidquid sit hujusmodi qualitas, esse lumen quoddam, ut & recentiores plerique consentiunt, quo removeantur caligines, & impedimenta, quæ retardant potentiam ab opere virtuoso.

CAPUT SECUNDUM.

De Proprietatibus Virtutis.

PRoprietates virtutis expedit exprimere per ethimologiam ipsius virtutis, & varia nomina competentia ipsi, & per definitiones, quæ circumferuntur de ea; sic enim assequimur cognitionem proprietatum virtutis, & omnia prædicta.

Virtus itaque benè à Græcis dicitur *areti*, vel à verbo græco *aresco*, quod significat placeo, vel placo, ex quo bene colligitur virtutem placere,

ea

ea enim est, quæ homini placet: ea etiam placat; nam quisquis est perturbatus, virtute solum placatur: vel dicitur a græco verbo *aris*, quod significat martem, vel propugnaculum, aut antemurale: eo se valet homo defendere ab externis, & internis hostibus.

Crediderim verius græcam vocem *areti* significationem, vel originem trahere à græco verbo *aro*, quod significat *apto*; virtus enim, est quæ aptum hominem reddit, & idoneum ad virtuosè operandum; unde ab Aristotele definitur dispositio perfecti ad optimum.

Ex hinc deducitur illa proprietas virtutis, quæ dicitur facilitas, & illa etiam, quæ vocatur jucunditas. Ex Emmanuele Thesauro quatuor sunt proprietates virtutis, nempè honorabilitas, facilitas, jucunditas, & uniformitas in actibus virtuosis.

Assignantur à Duhamel in Philosophia Burgundica tres aliæ proprie-

 ta-

tates virtutis, nēpè mediocritas, connexio, & oppositio cum vitio. Juvat ex data definitione Aristotelis, & ex nostra ethymologia colligere has proprietates, quod consideranti patebit.

Maxima est controversia de connexione virtutum. Divus Thomas dicit virtutes ità esse connexas, ut una sine alia reperiri non valeat: Contrarium Scotus affirmat; nos brevitati attendentes breviter stabilimus virtutem temperantiæ, & heroicam virtutem esse necessariò connexas, non verò virtutem continentiæ, pro quo notandum est, triplicem esse statū virtutis, v3. primò *incipientium*, qui ab Aristotele dicitur *continentia*; secundo *proficientium*, qui dicitur *status temperantiæ*, tertiò *heroicum*, qui & *heroicus* dicitur. Incipientes non habent virtutes connexas; si enim aliquod impedimentum eveniat; jam virtus eorū deficiet. Virtus verò in statu temperantiæ inter impedimenta est firma, & constans, & virtus in statu heroi-

co

co addit ad illam, facilitatem ad omnia impedimenta tollenda; itaut jucundè, & facilè impedimenta vincantur.

Pro responsione ad argumenta; satis est adnotare, quod si aliquando justus v. g. ex defectu fortitudinis; quia nempè temerarius, & nimis audax, minus continens justitiæ actum exercet, non habet veram justitiam, & perfectam in statu temperantiæ, vel heroico; dabitur enim casus, quod in alijs circumstantijs ex defectu ejusdem fortitudinis deseret actum justitiæ.

Secundo. Vitia non dicunt connexionem, quia fundantur in extremis, & potius opponuntur, immò aliquando mutuò se destruunt; virtutes autem respiciunt idem medium, & habent pariter pro objecto coercere passiones animum perturbantes.

Tertio amissa una virtute non amittitur alia, quoad habitus fa mu-

lantes, seù quoad physicas entitates, sed benè amittitur secundum rationem prudentiæ, quæ debet semper determinare; quænam virtus sit exercenda, & habebit absolutum dominium, nec virtutes benè erunt inservientes, quando ratio non simul habebit omnes subditas sibi.

Quarto Alexander habuit fortitudinem sub aliquo respectu heroicam, sed non absolutè, & simpliciter talem. Quando enim intemperantiæ se dedit, tunc fracta est aliquantulum fortitudo ipsius. His præjactis benè infertur virtutem esse dispositionem ad optimum. Non enim est optimus actus virtuosus, qui non habet sibi adjunctas quascumque virtutes. Infertur etiam competere virtuti facilitatem, & jucunditatem. Quisquis enim est dispositus, & aptus ad optimum, non invenit difficultatem ad superanda impedimenta, nec allicitur voluptate corporea jam fugata per omnes virtutes morales, & solum in honesto

vo-

voluptatem omnem adinvenit.

Alia definitio virtutis coincidens cum allata hæc est: virtus est mediocritas extremorum, & hanc definitionem afferunt Basilius, & Hieronymus, & etiam Horatius.

Authoritates Basilij, & Hieronimi vide in commentarijs ipsorum in Isaiam; sed brevis authoritas Horatij referatur hoc carmine.

Virtus est medium vitiorum utrinque redactum: Hæc medietas in causa est, quod virtus sit dispositio perfecti ad optimum, quia optimum est illud, quod a pessimo maximè distat, & ita medium distat maximè ab extremis; ut virtus à vitijs. Et hinc bene colligitur alia proprietas virtutis, nimirum oppositio cum vitijs; tot enim ferè sunt virtutes, quot vitia, quæ opponuntur ijsdem; unde Theologi dicunt peccatorum speciem desumi à specie virtutum, quibus peccata opponuntur; sic avaritia est quoddam vitium specie distinctum à pro-

digalitate, quia avaritia opponitur liberalitati, quæ respicit dare, ut decet, & non minus, ut avaritia. Prodigalitas verò opponitur Parcimoniæ, quæ respicit retinere, quantum oportet, & non minus, sicuti prodigalitas. Quantò autem aliquid magis opponitur vitio, tantò magis est bonum, & ideò virtus, quæ opponitur extremo per excessum, & extremo per defectum, est optima.

Colligitur etiam honorabilitas; optimum enim est debere honorari; non enim est virtuosus, qui honoratur, sed qui honorari debet.

Proprietas etiam conformitatis in actibus demonstrat optimam esse virtutem, quia virtus est principium. & radix perfectionis, ut loquitur Aristoteles.

Virtus dicitur latinè a viro, ut asserit Cicero lib. 2. Tusculanarum quæstionum, & benè quidem, quoniam virtus solum, moralis nempe, de qua hic loquimur, distinguit hominem à

non

non homine, virtus enim intellectualis competit etiam dæmoni, non sic virtus moralis.

CAPUT TERTIUM.

De causis, & Divisione Virtutum moralium.

TRes sunt causæ producentes virtutem moralem ex Aristotele, scilicet exercere actum illius virtutis, a quo magis recedit illud vitium, ad quod homo inclinatur, secundo declinare à vitio, iuxta illud Davidis *declina à malo, & fac bonum*; tertio abstinere à voluptatibus corporeis. Hæc omnia facile obtinentur, si servetur medietas; dicit enim Alexãder Aphrodisæus vetustissimus commentator Aristotelis, quod si quis velit se totum convertere ad extremum illud virtutis, quam vult assequi; non habebit intentum. Velut enim, qui vult rectum facere lignum declinans

ad

ad dexteram,flectit illud ad finiftram, non tamen totaliter,ne illud frangat, fic qui inclinatur ad Avaritiam, non debet tantum flectere ad actum virtutis Liberalitatis,ut accedat ad Prodigalitatem, fed potius dare, quod eft proprium prodigalitatis, quam retinere, quod eft proprium avaritiæ.

Virtutes morales quatuor præcipuè affignantur a Platone lib. 8. de Republica, ab Ariftotele lib. 7. Politicorum, & ab alijs, fed nobis fatis eft adnotare dictam divifionem ex Auguftino, utpote conducentem ad confirmationem noftræ affertionis de beatitudine confiftente in amore Dei.

Dicit Auguftinus de moribus Ecclefiæ cap. 15. quod, fi virtus ad vitam beatam nos ducit, nihil effe omninò virtutem affirmavero, nifi fummum amorem Dei, ut temperantiam dicamus amorem Dei fefe integrum, incorruptumque fervantem, fortitudinem amorem Dei omnia facilè perferen-

rentem, justitiam amorem Deo solum servientem, & ob hoc bene imperantem cæteris, quæ homini subjecta sunt; Prudentiam verò amorem discernentem ea, quibus aditur in Deum ab ijs, quibus impediri potest: Ratio datæ divisionis est, quia virtus moralis quærit optimum, & per prudentiam cognoscit, quod sit optimum, per temperantiam optimè sedare passiones magis præcipites, per fortitudinem metus irrumpentes, & per justitiam, quæ spectant ad alterum.

CAPUT QUARTUM.

De Prudentia.

PRudentia ab Aristotele definitur habitus vera ratione activus eorum, quæ homini sunt bona, vel mala. Dicitur habitus, quia est revera facilitas modo explicato, & vera ratione activus, non quod Prudentia veritatem semper attingat, sed quia pru-

dens verum quærit, & quod verosimilius est, semper amplectitur. In hoc differt Prudentia a scientia, quia scientia est de rebus veris, æternis, & necessarijs; Prudentia verò est de verosimilibus, & contingentibus, unde prudens sæpè fallitur, sed non vertitur vitio ipsius hujuscemodi error; assimilatur enim medicinæ, & nauticæ. Non dicitur malus medicus, qui dat medicamentum infirmo, ex quo medicamento, juxtà regulas artis, debet convalescere æger, sed si medicamentum non sit bene aptatum juxtà circumstantias, quas potest inspicere; sic etiam Nauta si naufragium illud non vitet, quod juxta regulas artis vitare non potest, adhuc dicitur bonus Nauta.

Prudens ex Isidoro dicitur quasi porrò videns, non quòd certè videat omnes circumstantias, quæ intrà cor hominis latent, sed quia videt ea, ex quibus verosimiliter elicitur indoles illius, quocum est acturus; ex hoc

hoc enim maximè prudentia dependet. Potest utique prudens ex ore, vultu, gestu, & sermone conijcere affectus eorum, cum quibus conversari debebit, sed aliquandò homines ita fingunt, ut vix eorum natura conijci possit. Atqui etiam Tiberius, qui occultissimus erat, cum laudare debuit Germanicum, & Drusum, in laude Germanici demonstravit se dissimulare, non tamen in laude Drusi, quem verè amabat.

Dicitur Prudentia habitus activus eorum, quæ homini sunt bona, vel mala, quia prudentis est videre, quænam virtus in aliquo casu bene sit exercenda, quænam malè; licet enim virtus semper sit bona, non tamen eadem convenit semper.

Definitur etiam ab Augustino Prudentia rerum ab homine expetendarum, & fugiendarum scientia. Debet quippè prudens videre, quænam debet expetere, quænam fugere debeat; ac propterea observandæ sunt

sin-

ſingulæ partes prudentiæ, ut eam adipiſci poſſimus.

Partes potentiales prudentiæ, vel munera, vel actus illius, vel virtutes prudentiæ affines ſunt tres, videlicet Eubulia, Syneſis, & Gnome.

Eubulia, ſeù bona conſultatio, eſt inveſtigatio mediorum, quæ apta ſunt ad conſequendum finem, quærendo conſilia. Finis debet ſemper præponi æquus iniquo, honeſtus utili, utilis dulci; & quoniam nos, vel ex prava inclinatione, vel ex ignorantia, vel ex mente præjudicata finem neſcimus ſemper bonum dignoſcere, nec media callemus, quæ conducunt ad finem, ideò nos debemus conſilium petere, ut monet Salomon paſſim in libris proverbiorum, & Eccleſiaſtici. Præcipitatio eſt illa, quæ opponitur huic virtuti, & proinde nos debemus non præcipitare judicium, & deliberationem elicere, ſed plura conſilia petere, vel intra nos ipſos conferendo media, quæ poſſunt cunducere ad finem,

nem, vel consilium petendo à doctis, timoratis, & nullo affectu præjudicatis in porrigendo consilia.

Synesis est expedita, & prompta facilitas inveniendi media, vel consilia conducentia ad assecutionem finis præscripti. Hæc virtus est potius à natura insita, quam arte acquisita; licet quandoque ex frequentatis actibus possit haberi.

Gnome est virtus illa, quæ exequitur consilium, quod optimum judicavit; cum enim prudens per Eubuliam primo consilia indagaverit, secundo per Synesim cognoverit, quodnam inter illa, quæ præmeditatus est consilia, optimum sit, tandem devenit ad executionem illius, quod optimum censuit.

Ut in hac parte prudens se optimè gerat, debet illud consilium exequi, quod non propria passio, neque consiliarij affectu optimum censet, sed quod juxtà regulas morum, & dat in hoc prudens consilium Emmanuel

The-

Thesaurus, quo Reges præsertim uti debeant; sed & privatæ personæ accomodare sibi optimè possunt; hoc autem id est: non debet consilium petens omnes circumstantias exponere, & aliquando consilium petat, tamquam de casu possibili, non de facto; sic enim continget, quod consiliarius non ex proprio affectu illius, circa quem agit, consilium porriget, & si aliquà circumstantia variatur, non ea variatur, quæ pertinet ad substantiam rei, benè tamen illa, quæ accidentalis est, & ità fiet, ut si secretum revelatur à Consiliario, dignoscatur, quinam Consiliarius seorsim quæsitus secretum alijs aperuerit. Hoc totum video in parabola, qua Nathan monuit Davidem de ove &c., quod fieri potest in consilijs petendis, quemadmodum à Propheta factum in admonendo Davidem.

Partes integrales prudentiæ sunt illæ, sine quibus Prudentia integra recenseri non potest: ex Divo Thoma

nu-

numerantur octo, & ità communiter tot admittuntur; sunt autem hæ: Intelligentia, Memoria, Solertia, Docilitas, Ratio, Providentia, Circumspectio, & Cautio.

Intelligentia respicit præsentia, quemadmodum enim intellectus speculatiuus est habitus primorũ principiorum speculabilium, ità Intelligentia moralis est habitus primorum principiorum moralium. Ut quis igitur habeat hujusmodi virtutem, debet scire prima principia moralis, & maximas illas, quas docent leges, vel Philosophi morales, vel Græci sapientes, vel Patres, vel ipsæ scientiæ naturales, ex quibus homo deducit illa, quæ spectant ad mores: Ex notitia enim plurimarum virtutum, puta animalium homo benè deducit, quę ipsi conveniunt, cum hoc tamen discrimine, quod proprietates animalium non sunt virtutes morales in ipsis, neque laudabiles, quia non intentæ volunluntariè ab ipsis, sed ex instinctu na-

turæ, ſcilicet providentiæ divinæ, quæ dictavit, v. g. ciconiæ pietatem, ut ex inde homines pietatem addiſcant. Proverbia etiam conducunt ad intelligentiam eorum, quæ ad mores ſpectant, & hæc omnia in ſingulis virtutibus adnotanda, ut prima hæc Prudentiæ obtineatur virtus.

Memoria eſt pars illa prudentiæ, quæ præterita reſpicit, dum nempe prudens comparat ea, quæ præterita ſunt cum præſentibus, de quibus deliberationem debet elicere, & ex eventu, vel proſpero, vel infelici, quem ſervat in ſimilibus contigiſſe, bene coniicit, quid agere valeat. Prudentia enim eſt recta ratio agibilium; ea autem, quę agenda ſunt, ſæpe acta conſpiciuntur juxtà illud; *Nil ſub Sole novum*. Conſideret ergo prudens quomodo res acta ſit in ſimili caſu, & deinde deliberet. Docilitas eſt promptitudo illa, qua aliquis facile audit præcepta magiſtri, & hæc maximè conducit ad prudenter agendum. Prout Docilitas pars eſt

pru-

prudentiæ, eſt prona illa voluntas ad audiendum præcepta magiſtri, & inclinare aurem cordis ad imperata, ut loquitur meus Benedictus in Regula. ſine enim h. m. patientia in audiendo, non habebitur facilè opus.

Solertia eſt vis quædam, ſeu facilitas percipiendi ea, quæ ſunt media opportuna, & ab aliquibus dicitur Euſtochia, licet Euſtochia proprie ſit celeritas inveniendi media conducentia ad finem in ordine ad agibilia, ſive moralia. Sagacitas verò eſt quædam major promptitudo in inveniendo media opportuna, & hùc reducitur etiam ingenium; vis enim illa, qua quis promptè, & ex tempore invenit omnia media, quæ conducunt ad finem aliquem, tametſi difficillime conſequendum, eſt ipſa ſolertia, prout dicit etiam docilitatem, atque judicium; quiſquis ergo promptus eſt ad ponenda media, habet pronam voluntatem ad audiendum, & nullum relinquit eorum, quæ judicium executioni va-

leant demandare, ingeniosus dicitur: sic Salomon patienter audiendo litigia mulierum altercantium de filio, & promptè ponens medium, quo disco. operuit veram matrem pueri, ingenium demonstravit.

Cautio est illa facultas, qua quis curat vitare omnia impedimenta, quę finem non dant consequendum,& hoc fit, vel amovendo ea, vel declinando omnes obices, quod & item fit per Providentiam, de qua mox dicemus.

Providentia itàque est illa facultas qua quis videt omne id,quod futurum est, vel utilitatis, vel nocumenti ad opus præceptum, & ad recte judicatum,recteque deliberatum; si quis igitur videt ex malo nuncio turbandum esse amicum,debet non statim adversa nunciare, sed preparare animum nunciando, vel ad uniformitatem cum voluntate divina, vel ad considerandum quædam emolumenta ex illo ipso malo nuncio expectanda;Imprudens igitur,& improvidus fuit ille,

qui nunciavit Davidi mortem Saulis.

Ratio eſt vis illa, qua quis ex antecedenter cognitis ratiocinatur ea, quæ ad finem conducunt, & hæc acquiritur experientia, ac præſertim ex obſervatione indolis ejus, cum quo eſt acturus, v.g. videns quendam iracundum, non debet ei porrigere arma, licet ea enim ſint iracundi illius; præſumitur tamen legem non obligare in tali caſu ad reſtituendum arma, ratione epichejæ.

Circumſpectio eſt inſpectio omnium circumſtantiarum, quæ poſſunt juvare ad opus præceptum, vel amovere ab ipſo, & cum quis inſpicit omnes circumſtantias prudenter agit; eæ autem circumſtantię continentur hoc verſu.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Sunt, qui ſtatuunt alias virtutes ad Prudentiam pertinentes, eique affines, ſed omnes reducuntur ad prædictas. Quod enim dicitur de Vigilantia, reducitur ad So-

lertiam, qui enim solers est, ille vigilat promptè ad inveniendum media. Diligentia etiam, vel reducitur ad solertiam, cum quis nihil relinquit eorum, quæ ad finem conducunt, vel ad docilitatem, qui enim docilis est ex delectatione, & amore opus exequitur; unde dicitur diligens. Si diligentia major extiterit, tunc Sollicitudo vocatur.

Rectus intellectus etiam reducitur ad Intelligentiam, qui enim rectè intelligit, ille habet intelligentiam, vel rectum intellectum.

Rectus sensus additur à Javello, dum nempè aliquis rectè judicat de singularibus. Quoniam enim sensus singularia respicit, & Prudens de singularibus deliberare tenetur, qui non bene judicat singularia, non potest prudenter se gerere; sed rectus sensus reducitur ad circumspectionem; quando enim respicit omnes singulares circumstantias, tunc erit vir prudens, atque sensatus.

Vi-

Videndum eſt modo; quænam ſpecies ſint prudentiæ,& breviter ſtabiliemus triplicem eſſe prudentiam; primo privatam, vel Monaſticam, ſecundo Economicam,tertio Politicam; quemadmodum Philoſophia moralis tres partes continet, ſcilicet Monaſticam, Economicam, & Politicam; ità etiam Prudentia; & ratio eſt, quia Philoſophia moralis habet dirigere voluntatem perſonæ privatæ totius familiæ, & univerſitatis, ſeu Regni, pariterque Prudentia, quæ moralem dirigit omnem, ut mores quoſcumq; componat: componit mores privatos, & dicitur prudentia monaſtica: benè regit familiam, & vocatur Economica; communitati leges præſcribit, & nuncupatur Politica. De his omnibus in tota Philoſophia morali eſt pertractandum, ſed de Prudentia dicta ſint ſatis.

Unum remanet explanandum; & id eſt videre vitia, quæ opponuntur prudentiæ; quot enim enumeran-

tur virtutes prudentiam componentes, tot enumerantur, & vitia, & quoniam ex uno opposito aliud benè cognoscitur, juxtà illud, *oppositorum eadem est disciplina*, breviter differemus de vitiis cõtra Prudentiam, ut dignoscantur melius virtutes. Prudentiæ in genere opponitur primò Prudentia carnis, & ea est, qua aliquis prępoñit finem carnalem fini honesto. Secundo dicitur opposita Prudentiæ sollicitudo nimia rerum temporalium. Cum ergo quis nimis attendit, vel circa media, vel circa finem temporalem, & negligit spiritualia, ut temporalia acquirat, operatur imprudenter, Tertia species Imprudentiæ vocatur Astutia, & ea est, cum perversæ rationes excogitantur, ut quis finem attingat: Ea autem duplex est, prima dicitur Dolus, cũ nempe astutia adhibetur in dictis; Secunda dicitur fraus, & est cum perversę rationes exquiruntur in factis: Nomine *Astuti* etiam aliquando in sacris litteris, & præsertim in libro Pro-
ver-

verbiorum venit Prudens,cum dicitur aſtuti eſſe cõſilia perquirere,ſed ordinarie loquẽdo, & Aſtutia,& Calliditas ſignificant Imprudentiã modo relato.

Virtutibus affinibus ipſi Prudentiæ totidem correſpondent vitia, & quidem Intelligentiæ correſpondet hebetudo, ſeu tarditas mentis; Secundo memoriæ correſpondet oblivio, tertio Solertiæ Negligentia, quarto Docilitati indocilitas; quinto Providentiæ improvidentia, ſexto Cautioni Incautio, ſeptimo Circumſpectioni Incircumſpectio, octavo Rationi Stultitia.

Sunt, qui dicunt rationi opponi Hebetudinẽ mentis. Species vitiorum, vel peccatorum numerantur juxta ſpecies virtutum, ut communiter docent cum D. Thoma Theologi. Verum eſt, quod nomine Stultitiæ ſoleat aliquando intelligi ipſa Imprudentia, ſed prout ſtultitia opponitur rationi, & eſt illa fatuitas mentis, qua aliquis neſcit ex præcognitis rectè deliberare.

CA-

CAPUT QUINTUM

De Fortitudine.

FOrtitudo à Marco Tullio definitur considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio, ab Aristotele verò mediocritas inter timorem, & audaciam constituta, vel virtus in medio consistens inter timorem, & audaciam, ut ratio dictat ob finem honestum, quanto magis communem, tanto diviniorem; à stoicis tandem definitur virtus pro æquitate pugnans.

Placet definitio Tullii ob illam particulam *considerata*; per hoc enim differt fortis à furioso, quod furiosus adhuc pericula suscipit, & labores patitur, non tamen considerate, & ex electione, sed ex impetu passionis: Dicit quidem Aristoteles Iram esse calcar, seu stimulum ad actus fortitudinis, sed, qui fortis est, debet prius con-

considerare, num illa pericula sint subter unda, & postea deliberare; unde fit, quod furiosi sint faciles in aggrediendo; non enim tunc cogitant, qualia, & quanta sint illa pericula, quæ considerate suscipit, sed quando videt difficultatem, tunc facile recedit ab opere incepto.

Placet & ultima definitio Aristotelis, ratione illius particulæ, *prout ratio dictat*; si enim quis audeat pericula suscipere, vel labores, propter id, quod ratio non dictat, nullo modo dicendus est fortis. Notandum igitur, quod ratio dictat, pericula suscipere ob finem honestum, & aliqua laus processura est ex susceptione ipsorum. Istinc nullatenus virtuosus, & fortis dicendus est ille, qui infirmus facile sustinet mortem, non enim est in potestate illius mortem substinere, nec aliqua laus ipsi inde resultat. Solum impavidus est, qui mortem non timet. Impaviditas autem convenit virtuoso æque, ac vitioso, cum hac

ta-

tamen differentia, quod vitiosus mortem non timet ob finem pravum, ut Nauta, qui se in mare submergit ob amorem auri, vel adulter, qui se vitæ periculo exponit, ut adulterium committat, virtuosus vero pericula suscipit, & mortem non timet ob finem honestum, puta ob amorem Dei, ob defensionem patriæ, ob bella justa.

Notandum est quoque duplex esse terribile, quod fortis non timet, cum hoc tamen ulterius, quod non timeat timore, quo crucietur ex terribilibus, timet autem, quantum debet timere.

Primum igitur genus terribilium est terribile supra hominem, quod nempe non potest ab homine prudente virtuoso vitari, sic terremotus, fulgura, & tempestates dicuntur terribilia supra hominem, & insanus est ille, qui hujusmodi non timet pericula, sicut Aristoteles dicit esse Celtas, nationem nimirum quandam Gallorum. Fortis impavidus est circa hu-

jusceemodi pericula, quatenus ea non impediunt actus virtutis in eo, nec ipsum contristant taliter, ut vitiosum quid eligat, ad hæc terribilia vitanda.

Terribile secundum hominem est illud, quod potest à Providentia, & à Prudentia humana vitari, & fortis pericula suscipit, ut talia terribilia evadat. Hoc autem terribile subdividitur in illud, quod est magis, vel minus terribile, & terribile uni, ac non alteri, ut latratus canis terribilis puero, non homini. In evitando h.m. terribilia consistit virtus fortitudinis, ut videlicet quis vitet, quæ sunt terribilia. Homo quippè virtuosus non timet mortem, ob finem honestum, sed bene timet infamiam, quare non dicitur fortis, qui non curat perdere bonam famam, (ea enim est necessaria, ad hoc, ut virtuosus sit Reipublicæ utilis). Sic non timere flagella, injurias & mortem sibi, vel filiis, vel amicis, uxori, vel ejus curæ commissis

ſis non eſt actus fortitudinis.

Quatuor ex D. Thoma pro fortitudine virtutum ſpecies aſſignantur: Eas omnes concluſi in hoc carmine.

Conſtans, Magnificus, Magnanimus, Patiens.

Conſtantia igitur, Magnificentia, Magnanimitas & Patientia ſunt quattuor virtutes pertinentes ad fortitudinem.

Bona eſt hæc diviſio ex eo, quod Magnanimitas eſt ea, quæ reſpicit magnos honores; Magnificentia magnos ſumptus, Conſtantia fortitudinem in aggrediendo, Patientia fortitudinem in ſubſtinendo; tamen, ut magis pateat bonitas hujus diviſionis, expedit adnotare, quod magnanimitas reſpiciat fortitudinem in animo conſiſtentem, Magnificencia fortitudinem exteriorem, conſtantia firmitatem in periculis ſuſcipiendis, patientia tolerantiam in laboribus ſubſtinendis, quod taliter probo: Magnanimitas conducit ad virtutes fortiter ſuſcipien-

piendas. Non eſt certè magnanimus t qui honores exteriores curat, ama, videlicet dignitates,& honorari à ſæculo, (niſi per accidens, & ex aliquibus circumſtantiis,) ſed verè magnanimus eſt, qui magnas amat virtutes, & labores ſuſcipit ad virtutes magnas comparandas; cæteròqui ſi honoratur ad majorem Dei gloriam, vel ad Reipublicæ commodum,ſive ad alium finem honeſtum, certè gaudet de tali honore, nec illum recuſat; Magnanimitas ergo pendet ex iis eſſentialiter, quæ in animo reſident, nempè reſpicit virtutes, quæ ſunt agibiles, nimirum in animo exiſtentes, unde magnanimitas dicitur.

Magnificentia originem trahit à magnis faciendis, ſeu à magnis ſumptibus, & quoniam facere eſt, quaſi foris agere, propterea magnificentia ſpecie differt à magnanimitate, quæ, ut ſuprà explicavimus, intra animum eſt.

Conſtantia importat firmitatem, ut

ut dicebamus,in ſuſcipiendis periculis, ſive laboribus; patientia verò in ſubſtinendis iisdem, & quoniam agere, & pati, ſive ſuſcipere, & tolerare ſpecie differunt, ideò benè dicuntur ſpecie differre conſtantia, & patientia; ergo bona diviſio D.Thomæ. Præter has quatuor virtutes, aliæ circumferuntur multæ creditæ ſpecie diſtinctæ, & in primis laudatus ingenioſiſſimus Loya dicit Philotimiam ſpecie diſtingui à magnanimitate, & diverſitatem aſſignat in hoc, quod magnanimitas amet honores magnos, mediocres verò, vel parvos Philotimia, ſed diſtinguenda eſt propoſitio tanti Doctoris, cujus vices gero, ne videar proſcolus à magiſtro velle recedere, vel ne ego Thomiſta ab Angelico cēſear Doctore velle amoveri.Specie *accidentali* diſtinguuntur Philotimia, & magnanimitas, quia magis, & minus non variant ſpeciem, niſi accidentaliter, & quemadmodum potentia viſiva oculi perſpicacioris non differt ſpecie ſubſtan-

tia-

tiali à potentia viſiva oculi minus perſpicacis, quia idem ſpecie viſibile ab utroque reſpicitur oculo, tametſi magis viſibile ab oculo minus perſpicaci obtineatur, minus verò viſibile ab oculo perſpicaciori reſpiciatur, ſic dicendum in caſu, quòd idem habitus virtuoſus, ſeu eadem potentia virtuoſa magnanimitas dicta, ad magnos terminetur honores, Philotimia verò, ſeu potentia virtuoſa minus efficax ad mediocres, ſive parvos terminetur honores. Poſſem item adiicere, quod Philotimia dicatur à græco philos, & timos, adeòque præſcindat à magno, & parvo honore. Ipſe D. Thomas definit magnanimitatem per hoc, quod ſit virtus attendens ad honores moderatè appetendos; unde quemadmodum Philotimia, ſeu virtus amativa honoris præſcindit ab hoc, quod eſt tendere ad honores, vel amare honores magnos, vel mediocres, ità & ipſa magnanimitas dici poteſt Philotimia.

Magnanimus mediat inter pusillanimum, & fumosum, sive ventosum, qui ventosus dicitur ab Aristotele chaunus à græca voce cheros, quæ signant vanum; proprie enim chaunos græcè significat vanum, & h. m. Chaunos dicitur à nobis præsumptuosus: sunt enim, qui in magnanimitate deficiunt, se volunt ingerere in iis, ad quæ vires sufficientes non habent, & hi dicuntur præsumptuosi, deficiendo à virtute per excessum. Sunt autem, qui vires habent, quibus possent exercere opera virtutum, vel dignitates acceptare, neque recusant ex humilitate, sed recusant, quia animum pusillum habent, & hi pusillanimi vocantur, ex eo quod deficiant à virtute magnanimitatis per defectum.

Cohæret cum humilitate magnanimitas; quisquis enim magnanimus, is & humilis est. Humilitas dat non elate honores amare. Non ergo magnanimus est elatus, sive superbus in aman-

amando honores, sed gaudet, si inter honores adhuc sæculi vivit, & non solum inter virtutes, non tamen excessivè gaudet, neque tristatur minimeque suspirat, si honores ei non deferantur; amat utique honorari, quia justitiam distributivam amat, & justitia distributiva dictat, quod honores dignioribus conferantur; quoniam itaque magnanimus se digniorem cognoscit, ideò vellet dignitates, & honores, qui ipsi debentur; Non enim est superbia, sed virtus veracitatis velle talem haberi, qualis revera quis est.

Magnanimus ex nostro doctissimo Loya significatur per gemmam *onichem*, *quæ* erat in rationali summi Sacerdotis;onyx enim est gemma quędam, in cujus centro colores sunt terrei, in circumferentia colores cęlestes: colorem cælestem referunt virtutes illæ, quas humilis, & magnanimus amat, & hinc Aristoteles dicit magnanimitatem esse coronam omnium

virtutum; ſupponuntur enim in magnanimo omnes virtutes, quas ipſe cognoſcit in ſe revera adunare; ſi enim ipſas revera non habet, vanus eſt, non magnanimus.

Magnanimi idea ex Homero fuit Agamemnon, ut & puſillanimi ab aliquibus dicitur fuiſſe Lecadius Corinthius, & quippè in Ariſtotelis Phyſiognomia magnanimus cognoſcitur, adhuc ex corpore; grandi enim corpore magnis oculis, inceſſu gravis, ille magnanimus exiſtimatur, ut vice verſa brevis corpore, puſillis oculis inceſſu velox puſillanimus ſolet haberi. Non negavero tamen breves corpore aliquando magnanimos inveniri, ſicut D.Paulus Apoſtolus corpore brevis, & tricubitalis aſſeritur, ſed tunc magis eſt laudanda virtus, quando organa corporis depravata majorem inclinationem ad vitium, quam ad virtutem portendunt.

Dicitur *Longanimitas* etiam ad magnanimitatem ſpectare, & definitur

tur virtus amativa honesti, quod quasi à longe respicit, utpotè magis difficulter obtinendum; sed & hæc ipsa virtus à magnanimitate non differt, nisi per accidens, quatenus ipsa magnanimitas considerat magnos honores, ut difficulter obtinendos. Fiducia censetur Virtus, quæ spem reponit in bonis. Nomine tamen bonorum hic intelliguntur virtutes, ut supra explicavimus, quare nec debet specie essentiali differre à magnanimitate Fiducia.

Remanet modo, ut vitia magnanimitati opposita distinguamus per species, ac propterea notandum, quod præsumptio sit quædam species vitiorum oppositorum magnanimitati, & in quatuor species athomas, vel infimas ipsa dividitur. Prima species Præsumptionis est præsumere illud, quod doctiores non præsumunt; sic erat præsumptio Nabuchodonosoris, vel Luciferi, quorum primus præsumpsit, quod non præsumpserat Do-

ctior Daniel, secundus quod non sapientior Michael; unde Isaias vaticinatus humiliationem utriusque.

Secunda species præsumptionis est propriis fidere viribus, & præsumere aliquid, tamquam à se ipso, quod potius esset expectandum ab adjutorio Dei. Goliath Philystęus Gigas tali præsumptione peccavit, cum Israelitas ad singulare certamen vocavit, ac propterea occisus à puerulo David lapidem jaciente in ipsum in nomine Domini.

Præsumptionis tertia species est præsumere aliquid ante tempus, & talem pręsumptionem solent plerumque incurrere ii, qui tirones sunt in exercitio virtutum, & volunt, cum vix cessaverunt à via iniquitatis, virtutum semitas calcare quales vix provecti calcare sunt assueti, & à Deo auxilium præstolantur ante tempus, quo mereantur ipsum: fuit de tali præsumptione reprehensus Ozias, cum reliquis Præsbyteris Israelitis, quia pa-

pactum ſtatuerat, quod ſi quinta die auxilium non accepiſſent, ſeſe in manus Olofertnis tradidiſſent.

Quarta, & ultima præſumptionis ſpecies eſt, cum quis præſumit aliquod agere, quando voluerit. Redarguit Dominus Jeſus Virgines fatuas in Evangelio, quia vocatæ oleum non habebant, & in hoc ſignificantur peccatores omnes procraſtitantes pænitentiam de die in diem.

Alia ſpecies ſubalterna vitii oppoſiti magnanimitati, vocatur Ambitio, & ea definitur à D.Th.2.2. appetitus inordinatus honoris, & dignitatis.

Hæc pariter quadrifariam dividitur, ſeu in ſpecies quatuor:

Prima ſpecies ambitionis eſt appetere dignitates,& honores non convenientes perſonæ appetenti. Hanapus reponit inter ambitioſos Mariam, & Aaronem, quia videbantur ambire ducatum, quando dixerunt: *Nonne & pariter nobis locutus eſt Dominus.*

nus. Erant probi Maria, & Aaron, ſed ducatus non conveniebat iisdem, quemadmodum Moyſi, qui omni ſcientia Ægyptiorum eruditus poterat melius regere Iſraelitas, tamquam Dux ipſorum, quam potuiſſent Maria, & Aaron.

Secunda ſpecies Ambitionis eſt, quando ad conſequendos honores, quis utitur mediis illicitis, veluti Abſalon, qui blandiebatur omnibus iis, qui à Davide juſtitiam expoſtulabant, & tandem defecit à Patre, quiſquis igitur rebellione quærit dignitates, ut & qui arte magica, in hanc ſecundam ſpeciem ambitionis incurrit.

Tertia ſpecies ambitionis eſt, quando cum offenſa Dei honores, & dignitates quærunt. De hac ambitione reprehenſus à Petro Simon Magus; unde dixit ei Petrus Apoſtolus: pecunia tua ſit tecum in perditionem.

Quarta ſpecies ambitionis eſt, cum nimio affectu amantur honores,

ut ea, ex qua Jeroboam redargutus ab Ahia Sidonite.

Ambitionis actus solent esse in se boni, sed depravari à fine; ambitiosi enim, ut plurimum alios honorant, unicuique assurgunt, cunctis placere desiderant, & student, ne alicui displiceant, ut videre est in relat o Absalon, sed & aliquando exercent vilissima opera, quod non est ullo modo approbandum; non enim viles, sed humiles esse debemus. Præterea ambitiosi aliorum exprobrant facta, & de aliis malè dicunt, & male sentiunt, ut nempe ipsi solum honorandi putentur.

Ironia etiam reducitur ad vitium magnanimitati oppositum, licet secũdum aliquos veracitati opponatur, ut bene ait Javellus; tamen in diverso sensu sumi potest, ut patebit ex infrà dicendis.

Ironia itaque est illud vitium quo aliquis magna, quæ in se habet, negat de se, & hoc triplici modo contin-

tingit: primo cum quis majora, & magna, quæ habet in ſe omnino negat, ſecundo, quando in modicis fingit, quod non magna oſtendat, ne honoretur, & hoc modo ſolent eſſe hypocritæ, & erant quidam Lanoni populi, vel Lacedæmones, qui vilibus veſtibus incedebant, ut diſcernentur ab aliis, qui veſtibus incedebant ſuperbis, ut ſic nimis humiles cenſerentur, tertio quando aliqui non omninò negant magna de ſe, ſed ſolum, ne honerentur pluſquam alii, & hi ſolent eſſe urbaniores, & gratiores hominibus in converſando: non expedit autem, neque omninò, neque aliquo modo, ut quis neget de ſe magna, quæ habet, neque quod jactet ſe habere magna, quæ non habet, vel quæ non habet, ut dicit, vel quod ſe jactet, & delectetur, ut honoretur, vel ut lucretur, qui ſunt tres jactantiæ modi. Cum hoc tamen bene ſtat, quod ſancti homines humilitatis cauſa, vel virtute heroica negarint magna de ſe,

quia

quia ſic tunc oportebat, ut & conceſſere, quando opus fuit. Noſter nunquam ſatis laudatus Loya refert ad genus vitii præjacti Acediam, vel ut alii ſcribunt, Accidiam. Accidia eſt ex Gregorio utrius hominis dejectio exercitio virtutum, nempè cum homo interior, ſc. animus, & homo exterior, ſc. homo exterius operans nauſeat virtutes, vel non exercet eas. exterius. Accidia dicitur à græco a, & chidos, ſcil.ſine cura; eſt enim Accidia idem, ac incuria, cum quis videlicet non curat ea ſervare, quæ ſunt de præcepto ſervanda, tunc enim Accidia eſt peccatum mortale, non ita verum, ſi quis non ſervat, quæ de conſilio ſervare tenetur, ut dives ille, qui in Lucæ 18. audivit à Jeſu: *Vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus*. Alias Ethymologias Accidiæ lubens libens omitto; græce enim Accidia pariter dicitur, unde non eſt neceſſe recurrere ad latinam originem acidi, vel acedinis, ut aliqui faciunt, bene

bene quidem, ſed non neceſſario.

Alia Synonyma; accidiæ ſunt Ignavia, Socordia, Inertia, Deſidia, Negligentia, & Segnities.

Ignavia dicitur ab in, & gnavus, vel navus, quia Accidioſus non eſt navus, nempe diligens, & velox; navus enim ex Feſto dicitur à navium velocitate, vel, ut alii volunt, quaſi natus alterius cauſa, hoc eſt non ſolum propriæ utilitati.

Socordia dicitur, quaſi ſine corde, & judicio; illa enim negligentia, quæ eſt in meditando, & in proſpiciendo, dicitur Socordia.

Inertia dicitur, quaſi ſine arte; quiſquis enim Accidioſus eſt, eſt veluti, qui nullam poſſidens artem otioſe jugiter vivit.

Deſidia dicitur à Deſideo, quaſi ad ſedendum deſcendo.

Segnities dicitur à *ſegnis*, quaſi ſine generatione, quia ſegnis nihil generat, ut dicit Voſſius. Iſidorus dicit ſegnem eſſe, quaſi ſine igne;

quem-

quemadmodum enim ignis semper agit, & urit, ità vice versa piger numquam agit.

Pigritia itaque nominatur etiam Accidia, vel à verbo latino piget; est enim accidia tædium quoddam, quo hominem tædet, seu piget virtuose operari, vel à verbo hębræo piger, quod significat languidum, & dejectũ, seu hæbræa voce Peger, nempe cadaver; est enim piger, quasi cadaver, nihil agens ex iis, quæ virtuti conveniunt.

Ex Isidoro libro de summo bono septem sunt filiæ accidiæ, scilicet Otiositas, Somnolentia, Importunitas mentis, Curiositas, Verbositas, Inquietudo, & Corporis Instabilitas.

Otiositas dicitur, vel à græco verbo ognos, quod pigrum significat, vel secundum aliquos melius dicitur, otiositas per t, quam per c, otiositatem trahendo à verbo utor, est enim otiositas cessatio à labore, vel secundum

dum Gregorium est agere, quod non est utile, vel sine utilitatis intentione.

Somnolentia dicitur à somno, & lentus; homines enim somnolenti sunt, qui lente, sci.non velociter agunt, ex eo quod somno se tradunt. Somnolentiæ itaque vitium est non celeriter agere ea, quæ quis agere debet.

Importunitas mentis dicitur ab importuno, quasi sine portu, & quiete, ut advertit Januensis in Catholicon; est enim importunum, quod portum, sive quietem non habet, sumpta allegoria à navi in portu inveniente quietem. Quies ergo non invenitur per mentis importunitatem, quando quis modo propositum elicit unum, modo illud omittens, elicit aliud.

Curiositas dicitur à cura, quæ sic nominatur, quasi cor Urens, vel à corde ruens, vel cor agens.

Curiositas autem definitur, pro-

ut ſpectat ad præſens, vitium illud, quo quis tempus terit in judicandis, & in inveſtigandis inutiliter alienis.

Verboſitas eſt à voce verbero; quaſi aerem verberat enim verboſus, qui & vocatur garrulus, & multiloquus, qui verba videlicet profert infructuoſa, & ſolum, ut ita dicam, apta ad verberandum aerem.

Inquietudo dicitur ab in,& quies, nimirum non quies; non enim quietem inveniunt homines accidioſi, ſed motibus, & nutibus ſemper mutationem agunt, & ſitum variare ſemper intendunt.

Corporis inſtabilitas per hoc differt ab Inquietitudine, quia veluti inquietus ſitum non invenit, quo ipſe quieſcat, ità corpore inſtabilis corpus modo huc, modo illuc deportat, & in eodem ſtare loco per momentum vix poteſt.

Gregorius lib.31. Moralium ſex alias filias accidiæ aſſert; eæ autem hæ ſunt: Mentis perturbatio, Tor-

por,

por, Rancor, Malitia, Pusillanimitas, & Mentis vagatio. Has omnes sex à Gregorio relatas sunt, qui credunt esse easdem, quas ex Isidoro retulimus, sed nobis tempus nõ suppetit in his immorari: satis est ipsorum ethimon, & definitionem afferre, ex iis enim constabit, num eæ differant, vel non?

Mentis itaque Perturbatio non est, nisi cum mens perturbata, & anxia excruciatur, vel propositum mutando, vel situm, animo tamen non re.

Rancor dicitur ab hæbræa voce Raucati; quæ significat putrescere; dicit enim Vossius, quod proprie Rancor sit vitium olei corrupti, vel dicitur à greca voce rajo, quod est corrumpere, corrumpuntur enim mores per Rancorem; est autem Rancor indignatio contra quærentem inducere ad exercitium virtutum.

Vagatio mentis est, dum mens vagatur, vel illicita, vel inutilia cogitans,

gitans, cum aliquod de præcepto servare tenetur, dicitur autem vagari, quasi vi agi, vel valdè agi, ut bene interpretatur Vossius, quisquis enim vagatur, quasi vi agitur, vel valde agitur, nam vagari, est potius pati, quam agere, & vagi sunt homines, qui, si quid agunt, frustra agunt, ac proinde plus patiuntur, quam agant.

Torpor est vitium illud, quo mens, quasi torpet, & velut obdormire censetur in iis, quæ exercere tenetur, & verè Torpedo est quidam piscis, qui hamo attractus à piscatore venenum quoddam diffundit ad brachium piscatoris ipsius, & sic tale brachium stupefieri, vel obdormire videtur; quapropter benè tale vitium est filia Accidiæ obdormientis in exercitio operis virtuosi.

Malitia, prout est filia Accidiæ, & distinguitur à malitia generica cuilibet peccato convenienti, est illa deviatio à bonitate, & disconvenientia

cum humana natura, quæ recedit ab exercitio operis virtuosi; ob pravum animum malè affectum circa opus præceptum.

De Pusillanimitate, quæ immediatè opponitur magnanimitati, satis superque disseruimus supra.

Mentis perturbatio, desperatio, prout est filia accidiæ, est mentis tristitia, seu animi perturbatio ob opus præceptum, licet desperatio in genere sumpta definiatur à Cicerone libro 2. Thusculanarum quæstionum, Non expectatio meliorum, vel à Theologis animi diffidentia, & perturbatio mentis, ex existimata impossibilitate consequendi bonum amatum.

Arnobius, & Macrobius, præter quatuor assignatas à D. Thoma species virtutum, alias assignant fortitudini subordinatas, quas omnes uniendo ex utroque conclusimus his duobus carminibus:

Securus, Firmus, Tolerans, Eupsychia, Lima, *An-*

Andragatos, fidens, perſeverantia, Vir.

De ſecuritate, firmitate, & fiducia ſupra diſſeruimus: De Tolerantia adverto cum Iſidoro, eam diſtingui à patientia, quia toleramus moleſtias corporis, patimur autem moleſtias animi.

Eupſychia dicitur à gręco Eu, ſcil. bene, & pſychi, ſcil. vita, vel animus, hæc enim virtus eſt illa, quæ dat bonum animum, nempe hilaritater, & jucundè opera virtuoſa exercere; ſed in rigore loquendo hujuſmodi proprietas virtuti cuilibet ineſt, ut ſupra retulimus.

Lima, vel ut alii legunt, lema eſt fortis, & virilis animus, & idcirco non eſt exponenda ſpecialis virtus ad exprimendum illud, quod eſt fortitudini eſſentialiter, & neceſſario adnexum.

Andragatos dicitur ille, cui ineſt andragathia, ſcil. virtus ea, quæ bonum hominem facit; trahitur enim ethimon, ab anir, andros, ſcil. homo,

& agathos, scil. bonus. Virtus bonum reddit habentem, ergo &c.

Perseverantia dicitur à per & severo, quia severus est, qui nihil prætermittit de debita pæna ad differentiam clementis, & ità perseverantia est virtus, quæ nihil prætermittit, nec temporis diuturnitate cessat ab opere incepto; competit igitur perseverantia cuicumque diuturnæ virtuti.

Per Vir intelligitur Virilitas; quæ neque à fortitudine in genere, vel à strenuitate superius allata specie differt, ut patet.

Visis jam vitiis magnanimitati oppositis, & virtutibus ad fortitudinem, & magnanimitatem spectantibus, expedit adnotare, quod & magnanimi sit, & Philotimi magna de se enarrare, cum revera insunt in eo, non solum ad Dei gloriam majorem, sed etiam, ut magnanimus ex hoc, quod narraverit, occasionem accipiat, perseverandi in exercitio magno-

magnorum illorum, quæ retulit de seipso; pudet enim hominem virtuosum aliqua de seipso magna enarrare, & postea desistere ab iis, & hoc notamus cum D. Thoma 2.2.qu.132.

CAPUT SEXTUM

De Justitia.

Justitia definitur ab Ulpiano, l.Justitia, ff.de Justitia, & jure, constans, & perpetua voluntas tribuens unicuique jus suum. Hæc definitio coincidit cum allata ab Aristotele 5. Ethicorum cap. 1. & cum ea, quam affert Cicero lib.2. officiorum cap.de Justitia, & hanc definitionem communiter recipiunt Philosophi, Theologi, atque Juristæ; eamque esse bonam probat D.Th.2.2. qu.58. art.1.& revera bona est; nam constat ex genere, & differentia; per ly enim *constans, & perpetua* convenit cum aliis virtutibus, quæ utpote habitus, sunt

constantes, & perpetuæ, dicitur autem *Voluntas*, ad denotandum, quod Virtus consistat in animo, & hæc propriè Virtus justitiæ subjectatur in voluntate, ad differentiam aliarum virtutum, quæ vel in intellectu, vel in potentia sensitiva subjectantur, ut suis in locis de singulis differendum, atque dissertum. Dicitur *unicuique tribuens jus suum*; per hoc enim differt justitia, ab alia quacumque virtute; aliæ enim virtutes respiciunt operantem, sed justitia respicit jus alienum, & petit unicuique dare, quod ipsi debetur.

Jus ergo, sive justum est æquale, vel commensuratum, seù debitum alicui, non tamen stricto rigore debitum, ut infrà videbitur; hoc autem jus primò solet accipi pro ipsa lege, quæ dividitur in jus naturale, seù ex natura rei, & jus positivum, seù ex condicto aliquo, vel est divinum, vel humanum, nempe lex divina, vel humana,

Jus

Jus vero humanum aliud eſt Civile, aliud eſt Canonicum, ſed de hoc agant Juriſtæ, atque Theologi in tractatu de Legibus; ſecundo Jus ſumitur pro facultate, & dominio, quod aliquis habet, ut aliquo utatur, ſive fruatur, & hoc eſt, quod juſtitia petit unicuique tribuere.

Partes potentiales Juſtitiæ, ſeù ſubordinatæ Juſtitiæ, ſunt illæ virtutes novem, de quibus infra, & quæ ad juſtitiam reducuntur; partes verò integrales ipſius ſunt declinare à malo, & facere bonum. Partes item ſubjectivæ, ſeù ſpecies virtutum, ſunt tres in ipſa Juſtitia, ſcil. Commutativa, Diſtributiva, atque Legalis.

De partibus integralibus juſtitię nihil eſt aliud adnotandum, niſi quod hoc declinare à malo, & facere bonum, ſine quibus juſtitia integra intelligi nequit, habeant medium rei, & non ſolum medium rationis. Unaquæque virtus eſt in mediocritate conſiſtens, ſed ratio tribuit ei me-

dium, nempe dictat, quantum in aliquibus circumstantiis debeat poni de medio, sed justitia dictat rem reddendam æqualem, & tantumdem debere restitui, quantum fuit ablatum.

Justitia commutativa est illa, quæ respicit rem, Commutationes, Venditiones, Emptiones, Contractusque.

Ipsa Justitia commutativa dicitur Habitudo partis ad partem; respicit enim partes Reipublicæ, quarum quævis mutuò jus suum alteri tribuat, & dicitur etiam Justitia particularis, quia in particularibus reperitur personis.

Justitia distributiva est habitudo totius ad partes, nempè virtus illa, qua totum, sc. Respublica, vel Princeps, seu Caput Reipublicæ dispensat honores, dignitates, & præmia, prout merentur partes Reipublicæ, seù juxta jus, quod ad illa habent Reipublicæ partes.

Justitia Legalis, quæ dicitur

etiam

etiam Generalis, est justitia partium ad totum, nempè virtus illa, quâ partes Reipublicæ ad bonum commune totius Reipublicæ, ipsius servant leges promulgatas ob bonum commune; Hæc autem Justitia legalis duplex est; primo stricta, & rigorosa, quæ servat verba legis, & regulatur à Synesi, seù judicio, dependenter à principiis universalibus; secundo minus rigorosa, quę interpretatur mentem legislatoris, & dicitur Epicheja, ac regulatur à gnome, scil. à judicio illo prudenti, quo homines judicant, mentem legislatoris esse aliter interpretandam in aliis circumstantiis, in quibus Legislator aliter definisset, si eæ circumstantiæ tunc extitissent, quando lex est promulgata, sive statutum.

Partes potentiales Justitiæ, seù ipsi Justitiæ subordinatæ, sunt Novem, sc. Amicitia, Gratitudo, Liberalitas, Observantia, Pietas, Pœnitentia, Religio, Veracitas, & Vindicativa: de his omnibus sigillatim.

Amicitia à Cicerone definitur, Voluntatum, ſtudiorum, & ſententiarum omnimoda conſenſio, & dicitur à græca voce *ama*, ſc. ſimul, vel ab *amo*; amici enim ſe mutuo amant, & ſimul eſſe deſiderant; vel amicus, quaſi amecus, ſcil.à me, vel quaſi animus æquus, & hæ omnes Ethimologiæ adferuntur à Voſſio, ſed id nobis eſt adnotandum, quod non omnis amor ſit amicitia: amicitia enim eſt ſolus amor ob honeſtatem.

Amantur bona delectabilia, & bona honeſta, ac utilia, ſed diverſis amoribus; ſolus enim amor amicitiæ reſpicit honeſtatem; amor verò concupiſcentiæ reſpicit bona delectabilia, & utilia: Solent juvenes amare delectabilia; ſequuntur enim voluptates; ſenes verò utilia, quia pluribus egent; in ætate virili conſtituti ſolent amare amore amicitiæ.

Cauſæ amicitię plures cenſentur, & primo Similitudo in Temperamento, & complexione, ut Piſiſtratus, &

Hip-

Hippocrides, quia nati eadem die, eadem die ſemper infirmabantur, eadem mortui die, vix ſe ſemel viderunt, & perfectiſſimi evaſerunt amici.

Alia cauſa amicitiæ eſt ſimilitudo in ſtudio; ſi enim aliqui eidem ſtudio attendunt, vel apud eundem Magiſtrum, ut fecere Damon, & Pythias, qui ambo ſtuduerunt in ſchola Pithagoræ, ſolent amicitiam inire.

Similitudo etiam in aliqua profeſſione, veluti Theſeo, & Pirithoo ambo militantibus, ſolet eſſe amicitiæ cauſa, & omnes ſolent pariter pugnare adverſus hoſtes, quos unus quiſque cenſet pares hoſtes ſui, ac hoſtes amici.

Alia tandem ſimilitudo adferens amicitiam eſt, cum ſimilantur plures moribus, atque virtutibus, ſic Pelopida, & Epaminonda erant amici, ex eo quod ambo pugnabant pro patria.

Quinque ſtatuit Cicero amicitiæ leges, quarum prima eſt, quod turpia,

vel

vel inhonesta, neque rogati ob amicitiam committamus; secundo quod honesta fiant propter amicos, nec expectemus rogari ab iis, itàut non operemur ea, quibus ipsi indigere videntur; tertio, ne aliquis delectetur de criminibus objectis amico, neque credat detractoribus ejus; quarta lex est, ne amicus sit simulatus, non fingat, nec quod suspicetur. Quinta est, ut amici sese invicem moneant; dedecet enim adulari, & qui verus est amicus, debet amicum monere.

Benevola debet esse correctio, neque aliquis moneat, nisi prius informetur de veritate illius, quod amico obiicitur; Hinc Deus, cum debuisset ulcisci de Sodoma, & Gomorrha, dixit, descendam, & videbo, ut nempè, sicut docet Gregorius lib. 10. moralium, doceret nos, quod debeamus prius certificari de crimine alicujus, & posteà illud justè corrigere.

Vera amicitia cognoscitur in adversis, unde dictum.

Re-

Rebus in adverſis patientia vera probatur.

Rebus in adverſis vera probanda fides.

Non ergo dignoſcitur amicus, niſi tempore infelicitatis, & ideò qui vult bonum amicum ſeligere, debet attendere ad tempus infelix, in quo prudentem invenit amicum.

Actus amicitiæ ſunt benignitas in affectu, concordia in voluntate, ſc. eadem velle, & nolle, Beneficentia in effectu, Conſtantia, & Fides.

Symbolum Amicitiæ eſt piſcis, *Anthias*, quia accurrit ad extrahendum à reti piſcem ejusdem ſpeciei, cum videt eum rete jam captum, vel eſt ramus inſitus alicui arbori, cum lemmate, *ex duobus unum, & idem*.

Liberalitas ab Auguſtino definitur virtus circa pecunias dandas, ſine ſpe retributionis; ab Ariſtotele verò, lib.4. Ethicorum, mediocritas circa pecunias diſpenſandas; à D. Thoma 2. 2. qu.117. art.1. mediocritas circa

dif-

dispensandas pecunias sibi, suis, & aliis.

Ex his colliguntur leges liberalitatis, quarum prima est, quod pecuniæ, vel munera non sint conferenda iis, qui abutuntur iisdem, & bene notat Aug.; quod histrionibus sua dare immane sit scelus.

Secunda lex Liberalitatis est, ut non detur plus, quam facultas permittit; non enim debemus nos ipsos gravare, vel alios, ut liberalitatem exerceamus, sed quando facultates non habemus, debemus benignitatem exercere, & blandis verbis munera non conferre; inde ex Cicerone Benignitas quatuor habet virtutes adnexas, scilicet Comitatem, seu affabilitatem, Humanitatem, Liberalitatem, & Beneficentiam. Qui non potest itàque esse liberalis, vel beneficus, sit saltem benignus, comes, & humanus.

Tertia lex liberalitatis est, ut non sine delectatione munera conferamus, & debemus ordinem servare in perso-

nis,

nis, quibus munera conferemus; ordo autem eſt hic, ut in primis attendamus ad diſpenſandas pecunias noſtras in cultum Dei, à quo eſſe recepimus, & conſequenter in beneficium Templi & Eccleſiaſticorum, Dei vices gerentium; ſecundò patriæ, & Reipublicæ, quia bonum commune præferendum eſt bono privato; tertiò parentibus, filiis, & conſanguineis, quartò indigentibus; debent autem præponi juſti peccatoribus.

Alia lex Liberalitatis eſt, quam tradit Auguſtinus tract. 25. de verbis domini: nolite facere eleemoſinam de fęnore, & uſura; ex quo bene colligitur, quod liberalis non debeat malo lucro munera dare.

Ultima lex Liberalitatis eſt, quod non dentur omnia uni, ſed ſingulis quædam.

Notandum, quod liberalis dicatur, quaſi liber; non enim eſt ſervus pecuniæ.

Liberalitas ſignificatur per ametiſtum

thistum gemmam,quę erat in rationali Summi Sacerdotis; quemadmodum enim amethistus roborat visum, & fecundat steriles, sic liberalis est gratus aspectu, & fecundat steriles, nempe egenos; imitatur etiam Deum, qui à dando nomen sortitur, ipsemet liberalis.

Observantia est illa virtus, qua colimus homines ob aliquam excellentiam, vel dignitatem, maximè ob senectutem, ut inquit Cicero; senes enim ob experientiam plura possunt docere, ac propterea reverentia quædam ipsi est exhibenda. Differt observantia ab obedientia, quia obedientia respicit superiores, qui nobis præsunt, non ità verò observantia.

Pietas aliquando sumitur pro religione, & sic definitur ab Augustino verax, & debitus cultus Dei, sed,prout distinguitur à religione,est virtus illa, qua veneramur, & obsequia præstamus parentibus,conjunctis, & patriæ.

Certè lex naturæ dictat parentes

esse

esse honorandos, & ipsa irrationalia hoc à natura docentur; sic ciconia dicitur alere senem matrem, & supra dorsum illam portare, quando alio transmigrare oportuerit: simile quid refertur de aquila, & de cucufa avi,

Solet etiam pietas designari per quædam animalia dicta capreolos, quæ solent præbere potum etiam parentibus, ut refert Loya.

Veracitas, sive Ingenuitas, sive Sinceritas, aut Veritas est illa virtus, per quam unusquisque dicit ea, quæ sunt (licet præclara in ipso), vel quæ fuerunt, vel erunt, non alio modo, quam fuerunt, sunt, vel erunt. De hac virtute superius (scil. cum de magnanimitate) dictum est satis, ut de vitiis oppositis ei, & modò solum addere lubet, quod ea significetur per smaragdũ gemmã pretiosam, quę hębraicè dicitur barchet à barac fulgur; hęc enim gemma memoriã conservat, & est colore semper firmo, neq; mutat colorem lumine Solis, vel lucernæ,

vel umbræ, Sic etiam homo verax non mentitur in dictis, quorum habet firmam memoriam, nec à veritate dissentit in quacumque circumstantia, vel mutatione rerum exteriorum.

Debet utique verax non omnes veritates semper, & cum unoquoque proferre, sed quando, cum quibus, & quomodo opus fuerit.

Veritas dicitur à vere,quia sicut veris tempore terra suum aperit sinum, & quod latebat semen in ea, foris prorumpit, ità etiam verax, seù ingenuus nihil habet occultum in corde, nisi quatenus circumstantia dictet veritates occultare, nunquam tamen mendacia proferre.

Vindicativa est quædum virtus, qua sumitur vindicta de reis, itaut crimen impunitum non maneat.

Sunt, qui volunt hanc virtutem referri ad justitiam distributivam; sicut enim ad hanc pertinet præmia conferre,ità & pœnas stabilire.

De Vindicativa, quatenus virtute ſubordinata ad juſtitiam, dicendum, quod ea diſtinguatur à juſtitia diſtributiva. per hoc quod deficiat à debito rigoroſo, vel reſpiciente æqualitatem. Hanc virtutem adhibuere, tanquam privatæ perſonę Dei impulſu Judith pro Bethulia contra Holofernem, & Judas Machabæus (qui tamen vindicativa potius ſpectante ad juſtitiam diſtributivam) contra Nicanorem, cujus linguam, & manum truncavit. Hæc itaque virtus neceſſaria eſt ad crimina repellenda, ſed perſonæ privatæ debent multum attendere, ne ex privata paſſione vindictam aſſumant, non enim vere privatis perſonis competit vindicta.

De religione, ut ſpeciali virtute ſpectat potius ad Theologos, quam ad Philoſophos diſputare, ſed pro Ethicæ inſtituto ſatis eſt adnotare, quod Religio ſit virtus, quæ Deo debitum exhibet cultum; ea verò eſt adeo neceſſaria Reipublicæ, ut bonum

commune ſervari nullatenus valeat; ſi removeatur Religio; unde Homerus dixit Diis ſolum dandam coronam, tamquam victoriæ præſidentibus, & apud Romanos triumphantes recipiebant coronas, ſed eas ſtatim portabant ad Templum, ad denotandum, quod ſolus Deus, vel proprii Penates, & Genii, ut ipſi loquebantur, victoriam donabant. Abſit credere idolis, ſed ex hoc ſolum deducitur, quod lumen naturale dictet ſine aliqua inviſibili virtute non poſſe boni aliquid fieri: Quod autem pro inviſibili virtute fonte totius bonitatis intelligebant antiqui Gentiles Jovem; & pro ejus miniſtris Genio, & penates, nos intelligimus Deum Trinum, & Unum, & Angelos, ſive Cuſtodes, ſive Cœlorum motores ab Ariſtotele intelligentias nuncupatos.

Pœnitentia eſt virtus illa,quę reddit Deo ſatisfactionem pro peccato; de hac nihil apud Ethicos inquirendum, ſed in Theologia morali, in
qua

qua ſpeciales tractatus eduntur, non modo de Pœnitentia, ut Sacramento, ſed etiam de ipſa, ut virtute.

Remanet demonſtranda bona diviſio juſtitiæ in novem partes potentiales ipſius, ſeù in novem virtutes ſubordinatas juſtitiæ, ſcil. Amicitiam, Gratitudinem, Liberalitatem, Obſervantiam, Pietatem, Pœnitentiam, Religionem, Veracitatem, & Vindicativam, Demonſtratur autem ſic; virtutes ſubordinatæ juſtitiæ, & quæ reſpiciunt jus ad alterum duplici modo poſſunt deficere à debito juſtitiæ; primò ratione æqualitatis, ſecundò ratione debiti rigoroſi.

Deficiunt à debito ratione equalitatis quattuor virtutes, quæ non poſſunt reddere æquale; eæ autem ſunt Religio, Pietas, Pœnitentia, & Obſervantia! Religiò non poteſt reddere Deo cultum æqualem cultui ipſi, qui Deo debetur; & ſi enim ſummum pro viribus exhibeamus Deo cultum, ſemper majorem ipſi exhibere debemus

mus, & superstitio, quæ Religioni opponitur, non opponitur ei per excessum quatenus nempè minus debeamus colere Deum; sed solum ratione modi, quia scilicet non colimus Deum eo, quo modo, debemus. Recepimus à Deo esse,& omnia bona,nec ipsi æquale reddimus, quia non possumus satisfacere ad æqualitatem. Non minus in Observantia, quam in Pietate non possumus reddere æquale; quemadmodum enim à parentibus esse recepimus, quod reddere æquale non possumus, seù quo nullum aliud beneficium majus, & cui simile nullum, ità esse morale, nempe virtutem recepimus ab iis, quos per observantiam veneramur.

De Pœnitentia certum est, quod nullimodè satisfactio possit esse ad æqualitatem. Satisfactio enim ad æqualitatem importat æqualitatem inter personam satisfacientem, & eam cui fit satisfactio, cùm ergo sit infinita distantia inter pœnitentem

tem ponentem ſatisfactionem , & Deum offenſum , cui fit ſatisfactio, conſequens eſt, quod nulli modè poſſit fieri ſatisfactio ad æqualitatem.

Quinque aliæ virtutes, quæ ſunt partes potentiales juſtitię, non ſervant debitum rigoroſum, & legale; ſed ſolum debitum morale, ſcilicet reſpiciunt quandam decentiam, & honeſtatem; eæ autem ſunt in duplici genere: Aliæ enim dicunt debitum neceſſarium, aliæ verò ſecundum melius: ex iis, quæ dicunt debitum neceſſarium, una eſt, quæ ſe tenet ex parte debentis, & eſt veritas, ſeù ingenuitas, qua unuſquiſque debet ſe talem exhibere verbis, & factis, qualis revera eſt. Aliæ ſunt virtutes, quæ reſpiciunt debitum morale, ex parte ejus, cui debetur, & hæ ſunt gratitudo, & vindicativa; debemus enim conferenti beneficia recompenſationem conferre ex quadam decentia, & honeſtate, at non ex debito rigoroſo legali; ſicut pariter vindicativa exi-

git, ut debeatur pœna ſcelus, vel injuriam committenti, & hoc reſpicit perſonas privatas in aliquibus circumſtãtiis, in quibus cognoſcitur non eſſe philautiam, ſcil. amorem ſui ipſius, ſed ex bono zelo, reſpiciendo bonum commune, puta pro defenſione patriæ, vel parentum.

Aliæ duæ virtutes ſunt ſecundum melius eſſe, ſcil. Amicitia, & Liberalitas; non enim dicitur inhoneſtus ille, qui non habet amicitiam, vel liberalitatem; ſed certè magis honeſtus eſt amicus, & liberalis, quam, qui nec amicitiæ, nec liberalitati attendit; Debet amicus conferre bona amico, & liberalis munera conferre, ut melius, & honeſtius vivat; non tamen poteſt coarctari à lege ulla ad amicitiam, vel liberalitatem.

CAPUT ULTIMUM

De Temperantia.

TEmperantia est virtus, quæ moderatur appetitum circa delectationes, quæ oriuntur ex cibo, & potu, & maxime ex venereis, & iis, quæ sunt circa tactus. Ex data definitione colligitur, quod objectum materiale temperantiæ sint delectationes ortæ ex cibo, & potu, & ex venereis, maximè circa tactum. Certè objectum primarium temperantiæ sunt delectationes ortæ ex tactu, unde refert Aristoteles 3. Ethicorum cap. 10. quod quidam Philoxenus Erycius gulæ deditus desiderabat habere guttur longius collo gruis, ut sic videlicet cibus posset per majus temporis spatium à gutture tangi; objectum verò secundarium, & materiale temperantiæ sunt delectationes ortæ ex alio sensu, v. g. ex odoratu; sic Leo delectatur ex

eo,

eo, quia videt bovem, quo se pasci desiderat, & canis leporem odorando, delectatur de pabulo, quód sperat.

Partes integrales Temperantiæ sunt Verecundia, & Honestas. Nomine Verecundiæ hic non venit illa animi perturbatio, qua quis patitur suffusionem in opere inhonesto; sed Verecundia, prout hic sumitur, est Virtus quædam, qua quis abstinet ab omnibus iis, quibus potest aliquis suspicari opus aliquod inhonestum.

Honestas est ille decor, qui reperitur in opere Temperantiæ; ait enim Cicero, quod sicut pulchritudo corporis resultat ex consonantia membrorum, quæ servant debitum ordinem, ità honestas operis virtuosi resultat ex illa proportione, & consensu, qui reperitur in actibus virtuosis, & præcipuè in actibus Temperantiæ.

Partes subjectivæ, seu species Temperantiæ sunt quatuor ex D.Th. scil. Abstinentia; Sobrietas, Pudicitia,

tia, & Castitas? Du Hamel censet non distingui Abstinentiam à Sobrietate, sed revera distinguitur, nam diversa facilitas requiritur ad refrænandas cupiditates circa potum, ac eas, quæ versantur circa cibum, multi enim abstinent à cibo, non tamen à potu; Abstinentia ergo refrenat cupiditates, quæ oriuntur à cibo, & in hoc distinguitur ab actu temperantiæ in genere, quia abstinens dicitur ille, qui non solum abstinet à nimio cibo, sive intemperantia, sed etiam subtrahit, & privat se aliqua qualitate, vel quantitate cibi, ut fieri solet in Quadragesima; dummodo tamen id faciat, quia ità oportet, vel quia necesse est; non tamen ob avaritiam, vel alium finem.

Scribit D. Paulus ad Philippenses quarto se didicisse satiari, & esurire, abundare, & penuriam pati, ex quo bene colligit Augustinus non consistere virtutem abstinentiæ in eo, quod quis esuriat; potest enim satiari, &

ab-

abſtinens eſſe ? Id tamen intellige ſano modo, nam edere, & bibere ad ſatietatem eſt peccatum, ut patet ex propoſitione damnata; ſed per ly ſatiari non intelligitur, quod pluſquam ſatis eſt, aliquis comedat, ut intelligitur illud neque ad ſatietatem, ſed bene intelligitur, quod comedat, quantum ſatis eſt.

Sobrietas eſt virtus refrænans cupiditates, habentes ortum ex potu, & hæc virtus eſt maximè neceſſaria, ex D. Thoma 2. 2. & præſertim quinque generibus perſonarum, ſcilicet juvenibus, mulieribus, ſenibus, Epiſcopis, & Regibus. Juvenes egent ſobrietate, ut luxuriam comprimant, & ideò Tacitus dicit, quod mulieres Germanæ ſint caſtæ, quia vino minimè utuntur. Mulieres debent ſobriæ eſſe, quia debili ſexu ipſorum cerebrum infeſtat, & vel modic ū vinū. Senes debent ſobrii eſſe, quia ſic poſſunt docere, & præbere exempla virtutum; Epiſcopi, ut cæteros inſtruant, & ſi-

& ſint bonorum operum ſpeculum; Reges, & Magiſtratus, ut judicent rectè.

Pudicitia eſt virtus refrænans cupiditates, quæ oriuntur ex circumſtantiis adnexis delectationibus, quæ reſultant ex commixtione carnali. Pudicitia ergo verſatur circa oſcula, tactus, & impudicos amplexus.

Caſtitas compeſcit delectationes, quæ originem trahunt ex commixtione Venerea; ea autem quadruplex eſt; primò conjugalis, ſecundò vidualis, tertiò Juvenilis, quartò Virginalis.

Caſtitas conjugalis eſt, qua conjuges ſe abſtinent ab omni delectatione venerea, quæ non eſt ordinata ad generationem prolis.

Caſtitas vidualis reſpicit viduas abſtinentes à delectatione venerea ſolum poſt tranſactum matrimonium, alterove ex conjugibus mortuo.

Caſtitas Juvenilis juvenibus competit, qua nempè juvenes venereas delectationes effugiunt, ſolum uſque, dum

dum matrimonium ineant.

Castitas Virginalis est illa, qua quis, vel quæ toto tempore vitæ abstinet à Venereis.

Virginitas à D. Ambrosio definitur in libro de Virginibus *Corruptionis expers integritas*, & à D. Aug. lib. de Sancta Virginitate cap. 13. *Incorruptibili corpore perpetua incorruptionis meditatio*. Hinc D. Th. observat non esse Virginem, quæ aliquando delectationem est passa meditando corruptionem, & D Hieronymus in Epistola ad Eustochium scribit, quod cum sit omnipotens Deus, & omnia possit, Virginem post lapsum reparare non potest. Sanè, sicut præterita non præterita esse non possunt, ità qui semel virginitatem amisit, virgo esse non potest.

Virginitas repræsentatur per lilium, cui insunt sex folia, & etiam Virginitatem custodiunt sex virtutes, scil. Sobrietas, Vestis humilis, & vilis, Modestia sermonis, Labor, Verecundia,

dia, & Taciturnitas, & ſicut in lilio ſunt tria grana, ſic triplex amor, quo diligitur Deus, ſc. fortis, dulcis, & prudens virginitatem conſervat.

Partes potentiales Temperantiæ quatuor communiter aſſignantur, cum D. Thoma, ſcil. Continentia, Clementia, Manſuetudo, & Modeſtia.

Continentia dicitur à D. Thoma virtus imperfecta, & ſemivirtus, quia non facit opus perfectum; non enim refrænat paſſiones, ut caſtitas, ſed ſolum non ſequitur impetum illarum; unde dicitnr continens eſſe ille, qui habet etiam paſſiones ad venerea impellentes, dum ſe continet ab iis, ſive illas non ſequitur. Continentia ergo eſt virtus illa, qua quis continet ſe à delectationibus venereis, ad quas ex concupiſcentia non refrænata inclinat.

Manſuetudo eſt virtus illa, quæ moderatur iram, & eſt media inter ſtupiditatem, & nimiam indulgentiam.

Ira eſt ſummè neceſſaria ad pruden-

denter agendum, & servit fortitudini; unde ex Du Hamel Mansuetudo reducitur ad fortitudinem. Iræ quippe non dandus est locus, ut mentem perturbet, sed semper cum moderamine ipsa uti debemus. Hinc Aristoteles lib. 4. Ethicorum cap. 5. dicit, quod mansuetus sit ille, qui quando, cum quibus, & quomodo oportet, irascitur. Insensatus, vel stupidus dicitur ille, qui vult nunquam irasci, & ne quidem, quando oportet.

Hæc virtus, nempe mansuetudo, fuit in Theodosio, de quo dicit Ambrosins in oratione de obitu ejus, quod tunc veniæ magis deditus erat, quando major erat iracundia; oportet ergo iracundiam temperare, sed Regibus præsertim ea est necessaria, quando oportet, ne Justitia deseratur. Refertur de quodam Rege Cypri post Gotifredum, quod matrona quædam ex Aquitania eum valde reprehendit, (dum petiit ab ea consilium, quomo-

do justum se gerere posset) quia ipse Rex solebat justitiam deserere, nunquam iratus; unde iratus Rex emendavit se ipsum.

Modestia est virtus illa, quæ modum imponit in operationibus. Hæc autem quincuplex est, scilicet Humilitas, Modestia morum, Eutrapelia, Modestia cultus, Studiositas.

Eutrapelia est virtus illa, quæ ponit modum in jocosis, & ludicris; tametsi modestia morum ab aliquibus confundatur cum ipsa Eutrapelia, attamen revera distinguitur ab ea; Modestia enim morum imponit modum in rebus serijs, & dat esse modestum in incessu, in motu corporis, in gestibus, & similibus, & de hujusmodi virtute dicit Ambrosius, quod ex visu modesti immodesti sanentur, sicut ex visu icteri avis icterici, scilicet laborantes morbo regio, seù icterico sanantur.

Alia species modestiæ Modestia cultus est apparatus vestium; docet

L enim

enim unumquemque eas sibi vestes apponere, quæ suum decent statum, licet humilitatis causa aliquando vilioribus, nunquam tamen immundis, nisi ex necessitate, quis uti debeat vestibus.

De humilitate, & studiositate dictum est satis superius.

Examinanda nunc vitia, quæ temperantiæ opponuntur, ea autem ex D.Th.2.2. quæst.118. sunt intemperantia, & stupor, vel insensibilitas, & ex eodem Doctore majus vitium est intemperantia, quam stupor, quia intemperantia facit nos similes brutis, unde Seneca epist.29. dicit de quodam stolido, qui dicebat se malle cum mulieribus, quam cum Philosophis conversari, quod ei responderit Pithagoras: *Et sus potius cæno delectatur, quam floribus.* Intemperantia ergo est vitium illud, quo quis nimis sequitur delectationes provenientes ex cibo, potu, & venereis. Stupor verò, cum quis non vult ipsis delecta-

tio-

tionibus uti, quando, quomodo, & quantum oportet, seù rectæ convenit rationi.

Abstinentiæ opponitur gula, in qua quinque modis ex D. Th. potest errari: hi continentur eo versu: *Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiosè.* Præpoperè significat; cum quis anticipat tempus comestionis, & ad id etiam reducitur comestio in loco non debito, v.g. in templo, vel tempore sacri, & cum edit sæpius, quam par est.

Lautè importat comestionem ciborum lautorum v.g. cum plebejus vult semper comedere cibos pretiosos, ut perdices, phasianos &c.

Nimis est vitium illud, quo quis vult comedere plusquam necessitas, vel complexio requirat, seù supra id, quod abstinentia permittit.

Ardenter peccat, qui comedit more canum, aut leonum omnia simul vorantium.

Studiosè dicitur ex gula deficere, qui omnem curam adhibet in come-

 den-

dendo,ut si vellet omni a saccaro esse condita.

Ex gula oriuntur quinque filiæ ejus, scilicet mentis hebetudo, immunditia, scurrilitas, inepta lætitia, & multiloquium.

Mentis hebetudo est, cum quis ob fumos pervenientes ad cerebrum mentem taliter obfuscatam habet, ut nesciat, quid eligere debeat. Dicitur hebetudo a græca voce ibi, quæ significat pubertatem, ea autem ætate solent homines hebetes esse, vel ab hæbræa voce abba, quæ significat obesum; solent enim etiam obesi stupidi esse, & hebetes mente.

Inepta lætitia est, quando quis ex immoderato cibo, vel potu absque justa causa lætatur.

Multiloquium solet contingere ex ipsa gula, cum nempè quis multa loquitur, & nihil concludit, quia videlicet nescit, quò sua oratio tendat.

Scurrilitas est jocositas quædam, qua quis non solum nescit compesce-

re

re linguam; ſed etiam immoderatus eſt quoad exteriores geſtus.

Dicitur ſcurra a græco ſcor, ſcil. ſtercus; Scurra enim ſemper in fætidis, & obſcænis ſermonem conſervat, niſi velis dicere, quod ſcurra dicatur, quaſi ſine cura.

Immunditia eſt ſuperfluitatum, vel excretionum rejectio, vel ipſius ſeminis emiſſio ex ipſo immoderato cibo, & potu.

Ex D. Th. 2. 2. qu. 153. ex luxuria, quæ caſtitati opponitur, ſex vitia oriuntur; ea autem ſunt inconſideratio, incoſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, horrorue futuri ſæculi, & cæcitas mentis.

QUÆSTIO ULTIMA

De Passionibus Animi.

CAPUT PRIMUM

De Passionibus in communi.

PAssio, sive affectus animi definitur à Zenone, *appetitus irrationalis*; ab Eustratio verò *motus appetitus sensitivi in prosequendo bonum, vel fugiendo malum, prout ea offeruntur; à phantasia, vel cogitativa.*

Undecim assignantur animi passiones, quas omnes comprehendo his duobus carminibus; *Tristor, delector, fugio, desidero, amo, odi,*
Desperas, metuis, speras, irasceris, audes.

Sex primæ passiones resident in concupiscibili, & sunt tristitia, delectatio, fuga, desiderium, amor, & odium. Secundo in carmine comprehendere volui quinque alias passiones,

nes; quæ sunt in irascibili, scilicet desperatio, timor, spes, ira, & audacia.

Stoici credunt has omnes passiones, tum irascibilis, tum concupiscibilis cadere non posse in sapientem; unde sapientem græco vocabulo dicunt apati; scilicet impassibilem; a enim significat sine; & pathos passionem; Peripatetici verò, & omnes communiter Catholici defendunt passiones etiam in sapientibus reperiri; quin, & Theologi sustinent Christum Dominum assumpsisse passiones, quas tamen vocant in ipso propassiones; quia vulgo nomine passionum veniunt affectus irrationales, & inclinationes ad vitia. Atque etiam D. Aug. lib. 10. de Civitate cap. 9. inquit, quod sicuti Christus Dominus veram naturam humanam assumpsit, ità, & veros animi affectus, & veras passiones, at, & ipse Aug. lib. 9. de Civit. cap. 5. notat, in nostra disciplina non tam quæri, utrum pius animus irascatur,

ſed quare, nec utrum ſit triſtis, ſed ad quid? Iraſci enim, ut peccator corrigatur, vel triſtari de malo alterius, aut illud timere, non poteſt ſana conſiderazione reprehendi. Ut quæſtio hæc diſſolvatur, ſit

ASSERTIO.

In ſolis hypocritis paſſiones ſunt damnandæ.

Pro feria 4. *Quadrag.*

PRobatur, quia hypocritis paſſiones ſunt mera triſtitia, & nullam delectationem involuunt; unde Matthei 6. dicitur, *cum jejunatis, nolite fieri, ſicut hypocritæ triſtes*. In hoc igitur loco demonſtrare conabor, quod undecim paſſiones præjactæ ſint ſolo mærore repletæ in hypocritis; unde dedecent ſapientem, & beatum ſivè felicem; in decem verò capitibus ſubſequentibus indigitavero, quomo-

do

do ſint dirigendæ, & quod ratio paſſionibus dominetur, juxtà illud, quod dixit Deus ad Cain gen. 4. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.

Ad oſtendendam præfatam doctrinam expedit notare ethymologiam hypocritæ: dicitur itaque hypocrita, græcè hypocriſis, ſcilicet hiſtrio, & hypocriſis ſcilicet actio, nam, ut notat Iſidorus libro 10. Hypocrita eſt tamquam hiſtrio, qui ſimulat perſonam, quam revera non repræſentat, & ut benè obſervat Lyranus, dicitur etiam à græca voce hypo, & criſis, ſc. ſub auro, quia ſub auro honeſtatis, quam in ſua converſatione demonſtrat, plumbum falſitatis, & vanitatis abſcondit. Scio à Voſſio vocari ridiculam hanc ethimologiam a Lyrano adductam, ſed ego notavero, quod ſi ipſe Voſſius non dubitavit Hypogæum, ſeu ſepulcrum dicere ab hypo, & geos, ſcilicet ſub terra, vel hypo cauſtum ab hypo, & cau-

caustum, nempè subaccensum, non video, cur gratis ridiculam ipse nominet reflexionem de hyppocrisi, quam retulimus ex Lyrano.

Quale quale sit hypocritæ ethymon, ex relatis certè deducitur in hypocrita veracitatem non esse. Veracitas virtus homini sapienti conveniens est, qua quis talis videri vult. qualis revera est. Non ergo hujusmodi virtus est in hypocrita, qui tamquam histrio aliam inducit personam contra præceptum Deuteronomij 22. ubi præcipitur hominem non vestiendum veste feminea, non feminam veste virili: per id designatur abominatio hypocritæ, quam Deus etiam designavit, prohibendo vestem, ex lino, & lana contextam, ut benè observat Chrysostomus. Concludam cum Hieronymo ep. 58. dicente monstrum esse hypocritam, & bestiam quamdam ex diversis naturis compositam. Chymæra dicitur ex natura Leonis, & Draconis, juxtà illud Poetæ; *Primò*

Dra-

Draco, inde Leo, media ipsa Chymera. Mentem habet lupinam, & vestem ovinam; dum desiderat apparere Catonem, videtur esse Neronem. Hæc omnia ex ipso Hieronimo. Cum hæc ita se habeant, quis non videat passiones hypocritæ esse omninò ferinas. Ut à tristitia initium ducamus, eam esse probabo in hypocrita detestandam. Tristatur hypocrita, non ob honestatem, seù ob bonum honestum, *scilicet* hominis statum respicientem, & ità intelligitur illud Ecclesiastia 36. v. 22. Cor pravum dabit tristitiam, & vir peritus resistit illi. Legit græcus Codex: *cardia strephi* scilicet cor pravum, quod vertit Pigna in eundem locum, cor versipelle, versutum, & vafrum, & postea exponit cor simulatum, & fictum. Cor ergo hypocritæ tristitiam dabit, sed vir peritus resistit illi, ut addit Lyranus ob sapientiam suam. Hominis ergo sapientis est fugere illam tristitiam, quæ propriè hypocritæ est.

Tri-

Triſtatus fuit Herodes, qui hypocrita erat; dum enim fingebat ſe velle ſcire, ubinam natus eſſet Rex Judæorum, non aliò tendebat, quam ad perdendum eumdem, & ferinam crudelitatem oſtendit, occiſione innocentium. Jamiam moriturus juſſit nobiles plurimos Regni poſt mortem ipſius occidendos, quia volebat totum regnū debere plangere mortem ipſius, ſed, & ipſe volebat ſeipſum occidere, & occidiſſet, niſi impeditus fuiſſet, at paulò poſt atra bile, vel triſtitia perijt. Hic eſt finis hypocritæ.

Ne ab Herode diſcedamus, ipſomet probavero delectationem in hypocrita veram non eſſe, vel eam, quæ hominem deceat. Legatur Job.cap.20. inquiens *gaudium hypocritæ ad inſtar puncti;* & ſi videris Herodem regnaſſe, legas eundem Job inquientem de Deo, qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Regnavit itaque 37. circiter annis Herodes, ſed ad inſtar puncti, quia

36.

36. annos ante Nativitatem Domini Jesù non Rex, sed Tirannus extitit, usque enim ad illud tempus erant legitimi successores Regni, quos ipse fecit occidi, cum natus est Domiuus Jesus, & sic verificatum oraculum, non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est, ut Abulensis observat, & usquequo erant legitimi successores in Regno, tametsi non regnarent, non ablatum fuit Sceptrum de Juda, ut monet Petrus Galatinus in arcanis Catholicæ veritatis. De reliquis annis, quibus regnavit Herodes, legatur vita ipsius, & videbitur tota in doloribus, morbis, & conspirationibus perdurasse.

Fuga, prout in hypocrita reperitur, adhuc abominabilis est. Christus Dominus Matth. 23. reprehendit hypocritas, vocans eos serpentes, & genimina viperarum, & excolantes culicem, glutientes autem camelum; His omnibus edocemur fugam dedecere in hypocrita; si enim fugiunt;

vel

vel deteſtantes culices, ſcilicet modica, ut interpretatur Sà, & non curant fugere quin amplectuntur maxima ſcelera, benè dicuntur ij ſerpentes, quia ſerpens modo ad dexteram, modo ad ſiniſtram ſerpit, & fingit fugere, ut ità decipiat. Non ſecus hypocrita; ipſe enim fingit fugere leves culpas, ut poſſit in occulto gravia patrare. Ita erant Principes Sacerdotum, qui timebant accedere ad prætorium Pilati, non tamen verebantur Chriſtum occidere. Hæc igitur fuga ſapienti non convenit.

De deſiderio monemur Proverb. 21. *anima impij deſiderat malum, & non miſerebitur proximo ſuo*; ubi vulgata habet *impij* hæbræus legit ruſcha, & græcus *Apbos*, ſcilicet non volens; de hypocritis autem Chriſtus Dominus dixit fruſtra me volunt, nempè docent, vel quæ non conducunt ad pietatem, vel quæ contrariantur eidem; & Eſtius advertit nomine impiorum ſæpè in ſacris litteris hypocritas denotari.

Quid

Quid mirum ergo, si desiderium impiorum, vel hypocritarum peribit: pluries enim apud 70. loco nominis *hypocritæ* habetur vox *impij*, & vice versa. Sapiens certè non impius; is ergo tale desiderium abominari debebit.

Diximus de amore: Dixit Christus Dominus Matth. 6. quod hypocritæ ament orare in Synagogis. Hic certè amor, nonnisi singularitas est, species nimirum quædam superbiæ. Synagoga erat locus aptus docendæ, audiendæ, vel explicandæ legi divinæ, & ideò non dicit *in templo*; Templum enim domus orationis est, & in eo licet orare, non autem in synagogis. Advertit hic benè Estius laudatus eos non inde reprehendi, quod publicè orent; & ipse enim Christus Dominus in conspectu Apostolorum oravit, sed solum reprehendit eos, qui orant in synagogis, ut videantur ab hominibus, quemadmodum Pharisæi, de quibus Christus Dominus.

Hic

Hic amor proprius; qui dicitur Philautia, sapientem non decet.

Nunc de fuga. Præcepit Dominus ex ore Mosis Levit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Hypocritas hæc tangit monitio; quandoquidem ij videntur amare proximos suos, & Deum ipsum, sed revera illos odio habent, & unus ex ijs erat Simon Magus, cui dixit Petrus Apostolus, quod cor ejus non erat rectum coram Deo: videbatur velle gratiam Spiritus Sancti ex amore Dei, & proximi, quem adjuvare se velle dicebat, atque ità non erat. Hoc odium non decet sapientem. Magus sapiens interpretatur, prout de tribus magis; non verò, prout signat Simonem Magum. De desperatione loquamur. Magus alius, scilicet Elymas exponat de desperatione sententiam. Dixit illi Paulus Apostolus: ò plene omni dolo, & fallaciæ, quousque desines subvertere vias Domini! tandem desperatus obijt, hic idem, qui volebat avertere Procon-
sulem

ſulem à fide, quam prædicabat Apoſtolus. Hinc meritò Job dixit ad Eliphaz Hypocritam, innocens ſuſcitabitur contra hyppocritam, quod interpretantur expoſitores in Biblia magna de Eliphaz.

Quicquid de paſſionibus concupiſcibilis retulimus, à fortiori de iis, quæ iraſcibili ſubjectantur, hippocritis appropriantur, & maximè de deſperatione, de qua in præſenti: Ea dedecet hominem, quæ reperitur apud hypocritas deſperatio. Exemplum habemus ſecundo Machabæorum cap. 9. verſu 18., ubi legitur de Antiocho, quod deſperans ſemetipſum ſcripſerit epiſtolam deſperationis ad Judæos. Hic Antiochus bene ab Hanapo reponitur inter hypocritas, quoniam ipſe miſit Apollonium Jeroſolymam, ut ſimularet pacem ſe velle cum Judæis inire; cum autem Sabati dies advenit, & Judæi nolebant in Sabbati venerationem arma tractare, tunc irruit ſuper eos, & millia plura

trucidavit eorum. In Biblia magna cum Glossa Lyrani dicitur hujusmodi desperationem ex eo evenisse, quod veniam nõ invenerit apud Deum Antiochus, quia nempe simulata, & ficta pænitentia ipsius, & certè si ipse veram pænitentiam habuisset, ut in illa epistola se habere testantur, veniam utique obtinuisset à Deo.

De timore aperte loquitur Isaias cap. 33. inquiens *possedit tremor hypocritas*. Timor, & tremor venerunt super hypocritas illos, de quibus loquitur Isaias, sive ii fuerint ipsi Judæi, qui timuerunt Deum, qui ultus erat de inimicis eorum, & voluissent Deum non habere vicinum, ne pariter ultionem caperet Judæorum, sive intelligas Assyrios, de quibus ultus est Deus, sive alios, ut multifariam, multisque modis Expositores interpretantur. Certè h.m. timor inutilis est, quin & valde inconveniens. Beatus vir, qui timet Dominum, si tamen, non ut hypocrita timeat.

Spem nullam in hypocritis bonam testatur Job dicens, quæ spes apud hypocritas? Altercabatur Job cum hypocritis illis, qui cum iissent ad consolandum eum, hyppocritarum more addebant afflictionem afflicto, & ut Job indicaret spem ipsius non fuisse insanam, hyppocritæque spem, illa protulit, quasi diceret: si ego hypocrita fuissem, certe nullam spem reposuissem in Deo, & tamen vos ipsi fatemini, me in Deum semper sperasse; Spes ergo, quæ hypocritarum non est, valde laudabilis.

De Indignatione, vel ira habemus testimonium Salomonis dicentis; ne sis hypocrita in conspectu hominum, & ne scandalizeris in labiis tuis. Ecclesiastici primo dicitur, quod mos hypocritatum sit scandalizari in labiis, seu indignari reprehendendo, quæ sunt aliorum occasio ruinæ. Archisynagogus taxatus, tamquam hypocrita à Domino Jesu, cum scandalum passus indignatus fuit, ex eo quod Chri-

ſtus Dominus Sabbati die curaverat.
Concludamus Paſſiones quaſcumque in audacia. Eccleſiaſtici 21. legitur: notus à longe vir potens, lingua audaci. Hujuſmodi homines noti à longe ſunt viri hypocritæ, & ab eis ſapiens quærit labi, quia ore dicunt Deum amare, ſed cor eorum longè eſt à Deo. Coronetur ſermo de hypocriſi, & paſſionibus animi audacia Ananiæ; hunc enim hypocritam extitiſſe teſtatur Tirinus, audacia, in quam, qua mentitus eſt Spiritui Sancto, mortuus eſt, & ſane modo, quo legitur in Actibus Apoſtolorum cap. 5. ubi ejus refertur mors, dum mentitus fuerat de pretio agri; quem vendiderat, & quod poſt hæc nemo audebat ſe jungere cum Apoſtolis, evidenter oſtendit, quod notus à longe vir potens lingua audaci fuerat Ananias, qui viſus eſt contra mentem ire, ſeù mentiri etiam Petro Apoſtolo, qui eum à longe cognovit. Novit nempe, quod ex hypocriſi volebat Religioſus,

& communista esse, sed servaverat pretium, ut posset seorsim deliciari. En vides, quod passiones animi omnes in hypocrita non sint, nisi tormenta, & mortem tandem inducant. Nunc de singulis passionibus animi sigillatim.

CAPUT SECUNDUM

De delectatione, & de Jejunio.

Dominica Prima Quadragesimæ.

DAt nobis thema Matthæus cap. 4. ut legitur Dominica prima Quadragesimæ: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei*. Hic occasionem sumimus demonstrandi delectationem omnem in jejunio reperiri, quod, ut delectabiliter, & utiliter assequamur, afferemus primò ethymologias delectationis, atque jejunii.

Delectatio ergo, vel deducitur a verbo latino do, & lacio, quod apud

antiquos significabat blandiri, sed ex frequentativo ejus lacto factum est usitatum delecto, vel à verbo græco lachizia scil.rumpere, vel ab hæbræo vocabulo laca, sc.blandiri, vel adulari.

Jejunium dicitur, vel à græco ineo, scil.evacuo, quia jejunii vacuus est venter, ut observat Vossius, vel, ut ipse subiicit, abJe, & ines scil. fibræ vacuæ, vel solæ, unde jejunus, & inde jejunium. Dicitur autem græce nistia à nisteria, quasi non edere, unde latinè dicitur inedia, tametsi inedia rigorose jejunium non sit, & ut hoc magis intelligatur, sciendum quatruplex esse jejunium, primo spirituale, secundo morale, tertio naturale, quarto Ecclesiasticum; *Jejunium spirituale* est illud, quo abstinetur à vitiis, & tale jejunium Augustinus tract. 17. in Joannem vocat magnum jejunium. *Jejunium morale* est parsimonia cibi, & potus, & virtus illa moralis, quam approbaverunt Philosophi, & Gentiles

les, & de ipſo tractat quambene Hyeronimus contrà Jovinianum, *Jejunium naturale* eſt omnimoda abſtinentia a cibo, & potu quacumque ratione trajecto in ſtomachum: hoc eſt neceſſarium ante ſumptionem Euchariſtiæ: ex inſtinctu quodam divino Eccleſia fuit edocta tale jejunium teſte Auguſtino. *Jejunium Eccleſiaſticum* eſt quædam abſtinentia à cibis quibusdam modo, & forma ab Eccleſia præſcriptis. De hoc ultimo jejunio pertractaturi mox ſumus, & paucis demonſtrare conabimur delectationem veram in Eccleſiaſtico jejunio reperiri.

Prædicatur jejunium maxime à Joele Propheta cap. 1., ubi legitur: *Confuſum eſt gaudium à filijs hominum*, & paulo poſt, *Sanctificate jejunium*, quo facile nos valeamus exprimere gaudium, vel delectationem in jejunio reperiri veram.

Quærit Vincentius Beluacenſis in ſpeculo morali libr. 1. diſput. 15.

utrum gaudium sit idem, ac delectatio, & resoluit cum Avicenna, gaudium esse delectationis speciem. Ne delectatio confundatur, debet illa distingui in delectationem competentem homini, eamque, quæ cõvenit bestijs: quæ convenit brutis, communi vocabulo delectatio nuncupatur, quæ verò homini competit, dicitur gaudium, unde homines gaudere dicuntur, bruta verò pariter, ac homines delectari.

His prælibatis benè ad rem nostram intelligatur illud Joelis, *Confusum est gaudium*. Confundunt homines delectationes, cum eas, quæ brutis conveniunt, sibi ipsis assumunt, & hinc benè Joel ipse subjungit: *Sanctificate jejunium*, & paulo post: *Confusum est triticum*. Omnia vere ad rem nostram. Confundere autumat, & Sathanas triticum domino suggerens: *Dic, ut lapides isti panes fiant*. Vere panis alit hominem, sed *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei*. Habes simile te-

testimonium Deuteronomij 8. nu. 3.; ubi legitur, quod penuria Deus afflixerit populum, & postea dederit, & manna cujus cognitionem nec habuerunt ipsi, nec Patres ipsorum, ut cognoscerent, quod non in solo pane vivit homo. Nisi velimus confundere delectationes, & panes debemus advertere, quod panes cùm jejunio assumpti delectationem hominis creant, atqui sine jejunio delectationes pariunt brutorum.

Facit ad thesim nostram firmandam Ethymologia delectationis à lacio, & quas retulimus nominis delectationis origines, sive ex græco, sive ex hæbræo, sive ex latino omnes vides fundatas in rumpere, vel blandiri, sive adulari. Taliter explico delectationes homini non competentes: hæ hominem corrumpunt, quæ sunt naturales, quando non modo, & forma à ratione præscriptis sumuntur, ut bene advertit laudatus Vincentius. Eæ vero, quæ homini sunt compe-

tentes, dilatant cor hominis, & producunt verum, & primum effectum; unde credidero nomen potius delectationis oriri, scilicet delecto quasi dilato cor; hinc etiam lætitia, quasi latitia. Dilatatur cor hominis, cum quiescit in bono juxtà rationem ipsi convenenti. Delectatio definitur quies in bono amato, & consequens ad aliquam operationem. Bonum autem est duplex, aliud bonum simpliciter, aliud bonum quoad nos. Est bonus simpliciter panis dictus à pascendo ex Nonio; ipso enim pascuntur homines, sed si non sit modo, & forma ab Ecclesiastico jejunio præscriptis, cum jejunandum est, corrumpit, non pascit hominem, juxtà vulgare illud effatum: *omnis corruptio mala; panis autem pessima*. Doceant hanc veritatem Sacerdotes Ægyptij, de quibus refert Chæremon Stoicus, quod ipsi abstinebant à carne, ab ovis, & à lacte, ut attentius contemplationi vacarent. Scimus Gymnosophistas corti-

titi-

ticibus arborum, & ſylveſtribus fructibus paſtos fuiſſe, ut contemplationi operam darent, ac delectarentur ea.

Alius delectationis effectus eſt uſum rationis augere; delectatio itaque rationem adauget, teſte Ariſtotele, quando eſt propria hominis, non quando competens brutis. Delectatus eſt Iſaac ex comeſtione hædorum, & bona delectatio ipſius, atque laudabilis: Vice verſa de lenticula delectatus Eſau blaſphemandus profecto, quia ratio dictabat hædos comedendos a primo, non ità lenticulam à ſecundo ſumendam.

Alios quoſcumque delectationis effectus à Philoſopho 10. Ethicorum enumeratos, in pane cum jejunio ſervaveris; hoc enim, quod eſt deſiderium ſui accendere, non modo, quo corporales deliciæ, ſcilicet corrumpendo, ut inquit Belluacenſis, ſed per hoc, quod deſideretur perfectior conjunctio cum re ſpirituali, & hoc, quod eſt perfectiorem operationem patrare,

om-

omnia, inquam, in pane illo, de quo agimus,facile reperietis.Obſervat Ariſtoteles 6. Ethicorum, quod corporales deliciæ corrumpant, vel diminuant uſum rationis. Eſca Eucariſtica eſt ille panis, qui omnia perpetrat,quæ vere delectant, & ne in plura oratio diſtrahatur, ſatis eſt authoritas Hieronimi ad Amandum ſcribentis, loquendo de Jeſu; Ipſe autem in eſca Euchariſtica eſt omnia, unde ſi panem dicere velis à græco pan, quod ſignificat omne, panem dicemus hoc Sacramentum, ſi à paſcendo, adhuc, & is eſt panis, de quo ſapientiæ 16. Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de Cælo præſtitiſti illis ſine labore, & omne *Delectamentum* in ſe habentem. Hic eſt panis ille, quo Virgo Clara jejunans per plurimos dies ſe ſe ſervavit in vita. Si ergo veras delectationes amatis,expedit, ut panem jungatis Verbo Divino, & divinæ illi doctrinæ, de qua dicitur, frange eſurienti panem tuum. Fregi-

mus

mus ſatis nos: ex illo victitemus jam cibo, & experiemur, quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni eo, quod procedit ex ore Dei, in oratione, & jejunio.

CAPUT TERTIUM

De Timore, qui eſt Paſſio animi, & de Timore Dei.

Dominica 2. Quadrag.

Docet nos Mathæus cap. 17. Apoſtolos cecidiſſe in facies ſuas, & quod timuerunt valdè, ut in Dominica 2. Quadrageſimæ legit Eccleſia. ly, *& timuerunt valde* vertunt Sà & Menochius ex hæbræo, quia timuerunt valde. Hinc melius refelluntur Calviniſtæ illi, qui cenſent timorem hominem dedecere. Maldonatus in textum laudatum Matthæi quambene reflectit Calviniſtam quendam interpretem textus relati, valde deceptum

tum, ex eo, quod voluerit affirmare, Apostolos cecidisse in facies suas adorabundos veneratione, non autem timore. Fundabatur is Calvinista in phrasi hæbræa, scilicet *niphal ngal peni*, scilicet cadere super faciem, pro quo hæbræi intelligunt cadere adorabundos,& hoc Maldonatus comprobat falsū ex eo,quia primo Regum legitur Goliath cecidisse in faciem suam, & certè non adorabundus sed moriens is cecidit.Similia habes inDaniele cap.8. & alibi passim notatur, & Daniel cecidisse in faciem suam, & vere visione perterritus. Non negavero cadere in faciem in sacro textu quandoque adorationem signare, non tamen id semper, ut ex allatis patet exemplis: unde benè concluditur Apostolos non ex veneratione, sed ex timore cecidisse in facies suas. Utinam ex Dei timore nos in facies cadamus nostras; neque quis audeat cum Quesnelio obmussitare timorem ob solam abominationem gehennæ detesta-

sta-

ſtabilem eſſe, & ad nihil juvare; quam bene enim Clemens XI. damnavit hanc propoſitionem 62. Queſnelij; *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo*; ſed & eam damnatam reperimus ſeſſ. 6. can. 8. Concilij Tridentini ſub his terminis, *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, atque peccatores pejores facere, anathema ſit*. Propoſitio hic damnata non in alio differt a propoſitione Queſnelij, niſi in hoc, quod propoſitio damnata in Queſnelio dãnet metum gehennæ, & propoſitio damnata in Concilio damnet metum gehennæ confugiendo ad miſericordiam Dei, ſed hæc differentia non favet Queſnelio, nam confugere ad miſericordiam Dei eſt oratio, & oratio peccatorum etiam habetur, ut peccatum à Queſnelio propoſ. 59., quæ ſic habet; *oratio impiorum eſt novum*

pec-

peccatum, *& quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium*. Ergo in sententia Quesnelij, qui abstinet a peccato propter metum gehennæ peccat, & qui abstinet à peccato propter metum gehennæ confugiendo ad misericordiam Dei, seu orando, addit peccatum peccato, quod est hæresis damnata in Tridentino. Timor ergò Dei utilis est, atque laudabilis, sive Dei, ut judicis, sive Dei, ut amati; Nunquam credidero Christum Dominum voluisse pronunciare: Timete eum, qui potest animam, & corpus mittere in gehennam ignis, si talis timor nõ esset utilis, necessarius, atque laudabilis, vel saltem, si illud esset peccatum, ut prætendit Quesnelius. Ecclesiast. 12. vers. 13. dicitur: *Deum time, & mandata ejus observa; hoc enim est omnis homo*. Examinemus timoris ethymon, & propositionem nostram firmabimus. Timor dicitur à græco timi, quod significat honorem; & aliquando etiam significat pænam. Honor

nor homini competit, quare ex Isidoro honestus dicitur, quasi hominis status, & inde etiam dicitur honor. Vis ergo scire, quid sit omnis homo? Ecclesiastem considera, & advertes omnem hominem esse Deum timere, & mandata ejus servare. Novit hanc veritatem Judith, quæ dicitur mulier valdè famosa, & quod de ea nemo audebat verbum malum proferre, quia Dominum timuit. Mulier timens Dominum ipsa laudabitur, Proverb. 31.

Quid dicam de obstetricibus Ægyptijs, quę tametsi infideles apud Deum gratiam invenerunt; itàut eis Deus ædificaret domos, quia Deum timuerunt? Non erat adhuc fidelis Cornelius, nec tamen proinde derelictus à Deo, solum ex eo, quia Dominum timuit, ut in Actibus Apostolorum testatur Petrus, qui dixit eidem, quod in omni gente, qui Deum timet, sit apud Deum acceptus. Absit ergò tanta temeritas, ut velimus in peccatore damnandum illum ipsum timorem,

qui in non adhuc fidelibus etiam Deo gratus censetur. Tolle Dei timorem, & ecce jam omne peccatum.

Legimus Abraham dixisse ad Abimelech ipsum intrà se cogitasse, quod fortè Dei timor in eo loco non erat, & ideò dixit ejus uxorem ejus esse sororem, timens nempe, ne interficeret eum. Sanè ubi Dei timor non extat, homicidium prudenter timendum.

Non modo impij, sed & justi debent habere Dei timorem, *Beatus vir, qui semper est pavidus* legimus Proverb. 28. Si ad hæc advertisset probissimus Loth, qui inter peccatores vixerat justè, & timuisset Deum, dum erat in monte, non cum proprijs filiabus peccasset, ut notat Hanapus.

Sunt, qui timorem à tumore deducunt cum Cornelio Frontone; quasi qui timet, & tumeat. & hoc potest adhuc comprobari: ex eo quod Job bene inquiebat se Deum timuisse, quasi tumētes fluctus maris: ex hoc Job occasio-

casionem assumpsit inter angustias semper Deum laudandi, nec eum terruit quævis angustia, quoniam Deum ipse timebat, ut de se ipse testatur.

Valet Dei timor ad hoc, ut peccato non præbeatur assensus, & Abdias dispensator Regiæ Domus noluit assentiri Jezabelis peccatis, sed quando novit, quod Jezabel omnes Prophetas curaverat interimi, ipse abscondit centum Prophetas. Abdias hic dictus pavit Prophetas, quia timuit Deum, ut sacro habetur in textu.

Abdias ex hæbræo vertitur Dei servus; Servus Dei est timor præparans locum charitati, fortitudini, cæterisque virtutibus, juxta illud Gregorij primo Moralium, in via Dei incipitur à timore, ut veniatur ad fortitudinem. Ineptè servilem reprehendunt hunc Quesneliani timorem, tanquam peccatum, & sanè si prima facie videantur rationes, quibus contra nos urgent, videntur aliquid roboris habere, puta respiciendo ad illud

Apocalypsis 21. in quo legitur timorem præparare locum in stagno ardenti, vel ad illud Proverbiorum 18. Timor deijcit pigrum, aut tandem ad primum Joan. cap. 14. Perfecta charitas pellit foras timorem: Atqui, si Ethicæ attendimus, hæreticæ nos objectiones nullatenus lædent: Ethica enim docet, quomodo explicandus sit ille timor, in allatis textibus damnatus.

Ethica docet, duo esse vitia, quæ opponuntur inter se, nēpe Timiditas, & Intimiditas, sive Impaviditas. Timiditas vitium est, quo quis timet quædā quoties, quando, & ubi timere non debet. Hunc quoque nos timorem damnamus, & hic damnandus in Pilato, qui ex timore sententiam protulit contra Dominum Jesum, & hic dejecit Petrum Apostolum Christum negantem. Si de hoc Quesneliani intelligunt, nos approbamus sensum eorum, sed contextus demonstrat, num illi de hoc timore loquantur. Intimi-

timiditas vitium eſt, quo quis non timet, quæ debet timere, & provenit, vel ex defectu amoris, vel ex elatione animi, vel ex ſtultitia. Achitophel, & Judas ex defectu amoris non timuerunt ſe ipſos occidere. Non timuerunt ex elatione Nabuchodonoſor, Aman, Leviathan, & Goliath, quorum primus cogitabat totum orbem ſuæ ditioni ſubijcere; alius hæbræos quoſcumque interficere, alius Iſraelitas, alius homines quoslibet. Peccaverũt ex intimiditate hi omnes, ex ſtultitia non timuit Amalecites ille, qui interfecit ſemimortuum Saulem, quare dixit ei David non timuiſti mittere manum in Chriſtum Dominum. Ethicus, non hæreticus, qui mediam calcat viam per ſemitas virtutis incedens, timore utitur calcari, & fræno. Calcar eſt timor, qui pigrum non deijcit, & frænum, quo inceditur rectè. Hic timor eſt ille, quem nos commendamus, non autem is, qui per exceſſum, vel per defe-
 ctum

ctum, à virtute recedit.

Scio sex species enumerari timoris. Primus timor est *naturalis*, quo quis naturaliter timet, quæ à natura excitatur ad timendum. Hic timor fuit etiam in Christo Domino, qui sanguine ex timore sudavit. Secundus *Humanus*, qui ex fragilitate humana facit, ut quis timeat, quæ timere non debet; sic Petrus supra relatus timore Christum negavit. Tertius *Mundanus* timor est ille, quo quis timet perdere corporis bona, & ideò non facienda committit: hoc timore peccarunt Judæi, dicentes, ne fortè veniant Romani, & locum nostrum tollant, & gentem. Quartus *Servilis* timor est ille, quo aliquis ex timore pœnæ aliquid patrat, & hic secundum se, nec bonus, nec malus, sed cum amore Dei pellit peccatum. De hoc enim dicitur Ecclesiastici primò: *Timor Dei pellit peccata*, & qui est sine timore, justificari non potest. Quintus est *initialis* timor, & est, quando

ti-

timentes inducuntur ad aliqua cum ex pænæ timore, cum ex præmij amore. Sextus *filialis*, seu *castus*, seu *reverentialis*, & *amicabilis* est ille, quo timemus ob reverentiam, & honorem debitum Deo. Tres sunt actus ejus, nempe timere offendere Deum, timere se separari à Deo, & præbere illi honorem, & reverentiam: Horum actuum tertius remanet in beatis; quandoquidem ij confirmati in gratia non timent Deum offendere, & ratione perpetuitatis non verentur separari ab ipso, sed Deo reverentiam exhibent, & honorem. Hunc præsumunt, qui patrocinantur Quesnelium, debere esse timorem in nobis, sed nonne timor adhuc initialis, & filialis sunt commendandi? Commendabilis Esther, quæ timuit Assuerum ingressa, ut intercederet pro Iudæis: commendatur Bersabee ingressa ad Davidem, ad impetrandum pro Salomone; commendantur David, & Ionathas, qui se mutuo amicabili timebant timore.

Observa Augustinum libro secundo contra Pelagium dicentem, quod quando opus bonum non fit amore justitiæ, sed solo pænæ timore nondum opus fit benè. Dicamus, & nos timore servili opus non dum bene patrari, non tamen propterea malum; & concordat illud laudati Gregorii: in via Dei incipimus à timore, ut ad fortitudinem veniatur. Ità incæpit Eleazarus Machabæorum fortissimus, qui libenter omnia passus, quia Deum timebat: sic Sara filia Raguelis, quæ orabat ad Dominum, dicens, quod in timore Dei consensum dederat viro: sic viri timorati, qui sepelierunt Stephanum, & ità tandem Ecclesia Dei, quæ proficiebat in timore post conversionem Pauli, ut acta Apostolorum testantur.

Non posset conciliari illud Ecclesiastici primo: *Timor Domini expellit poccatum* cum eo Joannis, loco laudato dicentis: *Perfecta charitas pellit foras timorem*, prima nempe Jo: cap. 14.

14. nisi observaretur hoc maximum æquivocum, quod adversarii assumunt. Aliud est dicere, *quia timeo Deum, non pecco*; aliud est dicere: *Si non esset pæna statuta peccato, peccarem*. Catholici omnes fatemur, non licere hanc Thesim: *committerem mala prohibita à Deo, si non essent prohibita*; licere autem hanc aliam propositionem: *non pecco, quia timeo Deum, vel pænam gehennæ*: Prima propositio involuit amorem ad peccatum, secunda solum dicit fugam ab ipso peccato.

Ut hæc funditus intelligantur, dandæ sunt definitiones timoris. Cicero in libro Thusculanarum quæstionum dicit timorem esse metum impendentis mali, scil. imminentis mali. Aristoteles 3. Ethicorum definit timorem expectationem mali, secundo verò Rhetoricorum, dolorem, vel perturbationem animi ex imaginatione, seù phantasia alicujus contristativi propriæ naturæ, sed melius quam omnes, definit timorem Augustinus in de Ci-

vitate Dei, dicens, quod timor ſit fugiens amor, & affectio ejus, quod adverſatur, adeòque fuga ex amore proveniens. Vides ergo, quod à timore ad amorem deveniamus. Fateor Apoſtolum dixiſſe, ſe non accepiſſe ſpiritum timoris, ſed dilectionis; atqui in domo Dei multæ ſunt manſiones, & quoſdam voluit Deus Sanctos ex timore humiles, quoſdam in dilectione fortes. Dicit idem Apoſtolus non accepiſſe ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed per hoc innuebat, quod non debebant Apoſtoli timere ante Reges, & Præſides; verum enim verò, & ipſe Deus incuſſit timorem in ſui transfiguratione Apoſtolis, quia, ut obſervat Toſtatus, Apoſtoli tunc erant carnaleſ, & participabant de Judæorum duritie. Utinam timeamus, & nos, qualiter timuerunt Apoſtoli; ex eo enim timore meruerunt audire: *nolite timere*. Obſervat Hieronymus expelli timorem, ut doctrina inſtruamur. Non debemus ergo in timore ſo-

folum firmari,fed ad dilectionem tendere, & fic non recedemus ab illo timore, quo in via Dei incipitur, ut deveniamus ad fortitudinem. Sit ergo.

CAPUT QUARTUM

De Fortitudine, & de Audacia.

Dominica Tertia Quadrag.

SI per mediam inceſſerimus viam, neque ad dexteram declinantes, neque ad ſiniſtram, fortitudinis calcabimus ſemitas, & non extrema, timorem nempe, & audaciam, timorem, qui ſit timiditas, & audaciam, quæ ſit temeritas evitabimus. Oppoſita quippè ſunt extrema talis timor, & talis audacia. Hoc deſignant cauſæ utriuſque; à bono enim arduo, quod ſperatur, audacia originem trahit; à malo, quod timetur, timor habet originem: Id quoque demonſtrant audaciæ, & timoris effectus. Vides in Audacia

ca-

caput elatum; oculos igneos, vultum rubentem, sunt & ex eadem sanguis dilatatus, pulsus vehemens, & elatus, corpus agile, & impetuosum. Servas ex adverso caput, oculosque demissos, & cætera, ut uno verbo concludam ex diametro opposita audaciæ in timore; dixit enim quam benè Damascenus lib.3. sententiarum cap.23. timorem esse virtutem contractionis. Unde in timore pallet facies, cor enim contrahitur, quandoquidem sanguis universus ex facie ad cor vitæ fontem jamiam expiraturum accurrit; è contra verò in audacia & in ira facies rubet, cum ad faciem verecundiæ sedem, & amoris thronum confluat sanguis. Si velimus, & mortis pallorem; iræ, vel audaciæ ruborem effugere, audaciam illam sequamur, quæ in medio consistit, & fortitudinis nuncupatur virtus. Hæc est virtus illa, de qua in Dominica tertia Quadrag. in Evangelio legitur cap. 11. Lucæ; *Si fortis custodit atrium suum, in pace sunt ea,*

quæ

quæ possidet ; si tamen fortior eo superveniens vicerit illum, arma auferet ejus, & omnia spolia ejus distribuet.

Ut dignoscatis hanc fortitudinem esse, cui & audaciæ competit nomen, memineritis velim ejus, quod admonet Aug. tom.2. epistola 29. ubi inquit, quod qui vera virtute fortis est, nec inconsultè nihil timet, nec temere omnia audet. Audeamus & nos, sed audendo, quæ debemus audere, quemadmodum Josaphat, Judith, Judæi, Joseph ab Arimathæa.

De Josaphat secundo Paralipomenon cap.17. admonemur, cor ejus audacia repletum lucos, & excelsa destruxisse, quoniam in viis domini ambulabat, & Abulensis observat, quod Deus cor ejus impleverit audacia.

De Judith cap.16.habemus, quod Medi timuerunt audaciam ejus, & vere audax Judith illa, quæ ausa est caput Olophernis abscindere.

Nonne 2. Machabeorum describitur Lysiæ fuga, dum is vidit Judæos

adeo

adeo audaces, ut vel vivere, vel mori fortiter ſtabilierint?

Joſeph ab Arimathæa audaciter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu. Haberent Chriſtiani nominis hoſtes, in quo nos redarguerent de falſa Domini Reſurrectione, ut advertit Ambroſius, niſi Joſeph ab Arimathæa petens Domini Corpus in cauſa fuiſſet, quod & Pilatus, & omnes Iudæi inibi exiſtentes viderent Corpus Domini mortuum, & in monumento bene ſignato recluſum; dixiſſent enim, quod Ieſus haud quaquam verè mortuus extiterat.

Lubens libens admitto audaciam quandoque, & in ſacris litteris deteſtabilem eſſe, ſic dum Eccleſiaſtici 8. ſcribitur, *cum audace non eas*, & ibidem, *cum audace non vadas in deſertum*, & Eccleſiaſtici 22. *Patrem, & virum confundit audax*. Ad hæc facit, quod Petrus Epiſtola 2. 2. capite inquit noſſe Deum audaces blaſphemantes, & ſectarum inventores. Non huj-

jusmodi audaciam vobis indico, ea enim ad hæreticos, & peccantes attinet; eam verumtamen à vobis exposco, quam Lucas loco laudato. Berchorius ait audaciæ nomine fortitudinem quandoque venire, atque virtutem, & ipsum vitium significare aliquando. Estote fortes in bello, & liceat cum Virgilio canere.

Fortiaque adversis opponite pectora rebus,
Tu ne cæde malis, sed contra audacior ito.

Propertius idem demonstrat dum inquit,

Audaces fortuna juvat, timidosque repellit.

Concludamus cum Seneca in Media inquiente;

Fortes fortuna metuit sed premit ignavos.

Mutius Scævola, dum manum in igne combussit, dicens Porsennæ, quod ejus fortitudinis essent trecenti Romani obtinuit à Porsenna inter Tyrrhenos, Romanosque concordiam. Timuit Porsenna fortitudinem Romanorum, & for-

& fortuna bona Romanos inde sequuta; Quod si forte opponas fortes, & virtuosos ut plurimum pauperes, breviter adnotavero terrenæ fortitudini Tyrrænorũ fortunam esse propitiam, fortitudini vero cælesti cælestem propitiari fortunam. Ne invideamus Mutij fortitudini, in ipso enim vera fortitudo non erat; virtutes enim sunt sibi connexæ, & ubi veritas non invenitur, nec fortitudo vera reperiri valebit. Mentitus est Mutius, dum dixit, trecentos Romanos fortitudinem ipsam habere, quam Mutius ipse ostentabat; nec vera fuit in Catone fortitudinis virtus, dum ipse sese interemit, ne Cæsari succumberet hosti: ipse testis est Cæsar, qui audita Catonis morte respondit, quod Cato invidus fuerat Cæsaris forti, eo quod nempè Pompejum vicerat Cæsar, dum Pompejo Cato favebat.

Quàm bene Aratus respondit cuidam dicenti audacem laude dignum, ut & desperatum: *differunt ista duo,*

vir-

virtutem magnifacere, & non curare vitam:

Menti occurrit, quod fertur dixisse Alexander de Dario invicto Persarum Rege, qui multas paraverat myriades militum adversus Macedonem *non timet unus Lupus mille oves*: Audacia, quæ reprehenditur ab Aristotele 2. Ethicorum cap. 2. est, cum quis audet, quæ non debet audere, ut & timiditas, qua quis fugit, quæ non debet fugere.

Alectoria lapis est quidam, qui reperitur in gallo, & juxtà naturales, non superstitiose quidem, teste Berchorio, audaciam in homine causat: Ales diei nuncius gallus vocatur, & hic est metaphoricè Christus, quemadmodum Berchorius ipse testatur: ex eo fortitudinem, & veram audaciam desumamus, & fortitudinem gentium comedentes, in gloria superbiemus earum.

Duas docemur audaciæ species in duobus emblematibus, quæ sapienter

enucleat noster laudatissimus Loya ; pro quo in hac Cathedra suppleo. In primo per sapientem audaciam designatur *quadriremis*, cum lemmate *etiam reflantibus*. Hæc est audacia illa, de qua Paulus Apostolus: Si quis audet, in insipientia dico, audeo, & ego in 2. per insipientem audaciam designatur mulier cum veste rubra fodiens fundamenta turris. Si quis insipienter audet, est, ut illa mulier, quæ fodiens fundamenta turris à cadenti opprimetur turri. Nos quadriremi utamur, nempe remis, atque laboribus mundi navigemus hoc mare, etiam reflantibus ventis, hoc est contrarijs aliò impellentibus, quam ad perpetuæ beatitudinis portum.

Audent insipientes more milui, vel crocodilli contra timidos, sed fortes timent. Simus nos Ausones, nempe Itali audaces; si enim verum est, quod Italia dicatur Ausonia ex Italo primo Italiæ, & Siculorum Rege prudenter audaci, nos prudentem Itali

for-

fortitudinem imitati, fortes erimus; & non audaces audacia illa, quam reprehendit Cicero lib. 2. de officijs, improbam dicens audaciam, qua quis non communi utilitate, ſed propria ducitur aviditate.

Ariſtoteles 3. Ethicorum prævolantes audaces nuncupat illos, qui ſtatim audent, & inconſiderate ad inſtar Celtarum. Sunt Celtæ, & populi plurimi ſeptentrionales audacia temeraria, & imprudenti; Aquilo enim frigidum temperamentum donans ipſis, ab eis conſiderationem avertit. Prælaudatus Cicero definit fortitudinem conſideratam laborum ſuſceptionem, & attentam aggreſſionem periculorum. Sedulò conſideremus, quæ debemus audere, & inde audaciam aſſumemus; avidè agamus, ſi audacia dicitur ab avidè agendo, ut vult Feſtus, quicquid in contrarium ſentiat Voſſius: aveamus, ſi ea dicatur ab aveo, ſcilicet cupio; cupiamus inquam, & avidè agamus ea tantummodò, quæ

mediocritatem sortiuntur, in qua fortitudinis statuitur virtus. Non indè vobis promitto bona illa fortunæ, quæ de Mutio supra retulimus. Inquit enim Philosophus apud Hugonem de Sancto Charo in sextum Joannis, *quæ putamus fortunæ bona, sunt insidiæ*; quod applicat citatus Hugo ad honores, & temporalia, sed si verè divites esse cupitis, veras divitias amate; & si avidè concupiscitis regnare cum Christo, sequamini vestigia ejus, qui cum cognovisset, quod volebant eum facere Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Si eritis fortes in bello, pugnantes cum antiquo serpente, abijcientes hæc temporalia, quæ in dispensando delectant, non in retinendo, fortunam illam invenietis, quam liberales, non quam avari. Felicior ille, qui bona habet, atque distribuit, quam qui ea servat in arca. Fortes armati custodientes atrium suum sunt fortes fortitudine terrena, quam laudavimus in Mutio, & Catone.

ne. Fortior ille eſt, qui cuſtodit atrium ſuum, dum arma ejus omninò auferet, ſcilicet aurum ab hominibus ſumit, ab avaris, & avidis, illudque diſpenſat, & ſpolia ejus diſtribuit.

Temporalia nobis deſerviant, nos non ſerviamus eiſdem. Bona fugiamus fortunæ; ſed fuga illa prudenti; quam in ſequenti capite demonſtrabimus. Sit ergo

CAPUT QUINTUM.

De Fuga, & Contemptu Mundi.

Dominica 4. Quadraſimæ.

OH' ſi fugam illam arriperemus prudentem, quam Dominus Jeſus Joannis 6. arripuiſſe videtur! *Cum ergo cognoviſſet Jeſus, quod venturi eſſent, ut facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus*: Dum benè hunc tantummodò conſideremus nos textum; dignoſcemus, quando, quo-

modo, & cur temporalia fugienda sint bona.

Notat in primis Evangelista per ly *cum ergo* illationem Domini Jesu ex præcedentibus habitam. Narrarat primum Joannes, quomodo Jesus quinque panibus, & duobus piscibus, quinque millia saturaverat hominum. Et inde Salvator cognovit, quod Judæi venerant, ut raperent eum, & facerent eum Regem. Putat Maldonatus Jesum id cognovisse, quia secreta noverat cordis, ego autem (pace tanti Doctoris) crediderο, non incongruè appositam particulam, *ergo*, sed ad denotandum, quod ex satietate præhabita turba voluerit Regem statuere eum, sub quo egere non viderentur, quemadmodum Glossa subjungit. Meus inquit Beda, quod viderant Judæi Dominum pium ad providendum, & potentem ad protegendum, & hinc volebant illum Regno præficere, sub quo non poterant esurire, sed sine labore ventrem satura-

re

re volebant; unde Joannes Ferus advertit, quod ij ventrem plus diligebãt, quam mentẽ, juxtà illud, quod Chrysostomus monet, tantam Astrimargiæ, seù gulæ tyrannidem esse, ut qui plurima Salvatoris miracula viderant, eumque, ut seductorem damnaverant, satiati voluerint eum Regem creare. Non amplius Dei zelabantur honorem, non Cæsarem ipsi adhuc timebant; sed vide maximam Charitatem Domini Iesu, qui ne causa esset, vel occasio rebellionis adversùs Cæsarem, in montem fugit: Quod *fugit* legimus ex græco *anecorise* interpretamur, *Secessit*, & taliter intelligenda est Salvatoris fuga; secessit noster Iesus, ne Iudæi ipsum Regem constituentes à Romanis essent affligendi. Lex ergo fugæ prudentis hæc est, ut quando viderimus Regnum non posse sine sanguine possideri, Regno maluerimus ipso carere, non tamen id est argumentum, quod non debeat quis præfici Regno, quando à Deo, tamquam

Aaron vocatur ad illud: Moyſes ſeſe jam moriturum agnoſcens, pro felici ſucceſſione Dominum exoravit, & Ioſue filius Nun à Deo electus feliciter, & ſanctiſſime regnavit poſt ipſum; Nec eſt, qui non calleat bella Ioſue geſſiſſe quamplurima, ut Regnum, ſive Ducatum ſibi defenderet.

In Domo Patris mei manſiones ſunt multæ, dicit Salvator. Qui ad Regnum temporale vocatur, illud ſine ſcrupulo armis tueri conabitur. Fuit David ad Regnum temporale electus à Deo: *Elegit David ſervum ſuum: placuit ei*, ſcilicet, ut eligeret eum Regem, ac propterea fortiter dimicavit, & ſanctè.

Hæc ipſa, quæ modo retulimus; dant anſam hæreticis arma adverſum nos capeſſendi, ſi non cum grano ſalis ab Ethica condiantur.

Docent OEcolampadius, Cornelius Agrippa, Lutherus, & Eraſmus, qui tamen ultimus non eſt ſibi conſtans, bella Chriſtianis non licere.

Hoc

Hoc tamen, tamquam hæreticum est in plerisque Concilijs, & à Lucio II. Callixto II., alijsque damnatum; de Clericis verò, quod ij nempe bellum non debeant perpetrare, quando ratio, & religio dictant, modo authoritas non desit, ut temerarium à Theologis asseveratur; & sanè, quod Christianis bella sint licita, monemur à plerisque auctoritatibus Sacræ Scripturæ, præsertim in libris Exodi, & Regum, in quibus Moysi, Davidi, alijsque mandatum à Deo, quod arma adversùs hostes arriperent.

Insurgunt Lutherani dicendo, quod in veteri testamento Deus erat Deus ultionum, nunc verò Deus gratiarum liberè agens, & hoc videtur innuisse Salvator mundi, dum Petro imposuit gladium in vagina reponere. Hujus argumenti falsitas ex eo comprobatur, quod adhuc Sanctissimi Reges novo in Testamento bella patraverint, & id maximè patet in Sanc-

ctissimis Pontificibus Nicolao Magno, Gregorio II., & Gregorio VII., ut brevitati attendens alios prætermittam.

Nicolaus Magnus fugit, & ipse antequam acceptaret Papatum, sed tandem Papatum acceptans, Lotharium Regem Austrasiæ excommunicavit, ut & Fotium, & Joannem Episcopum Ravennatem Romanæ Sedi rebellem, militibusque commisit, ut gladio etiam temporali reacquirerent bona Ecclesiæ, quæ abstulerant hostes, nec timuit temporalibus armis adversus hostes insurgere, qui prius Pontificiam fugerat dignitatem. Gregorius VII. Henricum spoliavit Regno, dum subditos à juramento absolvit; & omnes Germaniæ Principes adversus eum arripuerunt arma, induciasque dedere, ut Papæ se primo submitteret. Fugerat, & hic, seù recusaverat Pontificatum, ad quem evectus scripsit Henrico, quod arma arrepturus erat adversus eundem; cui tamen

men Henricus respondit se paratum pænitentiam agere, ut de facto fecit, licet postea iterum Ecclesiæ rebellis ipse extitisset Henricus. Similia possem de Gregorio II., alijsque referre, si non obiter materiam hanc pertractarem. Unum conclusero, quod, si bella justis indicantur ex causis, debeant multoties assumi, si tamen ex odio, vel animo arripiendi aliena bona, nec Papæ sunt ipsi permissa; Justa autem v. g. causa est, ne Rex, sive Respublica priventur bonis proprijs., & ut adversus Ecclesiæ hostes, vel pro communi bono indicatur bellum.

Persona privata, ut erat tunc Petrus, debet gladium deponere, & huic, nempe personæ privatæ dicitur, quod si quis percusserit in unam maxillam, præbeatur & altera. Qui personam publicam repræsentat, non potest proprio cedere honori, sed vel renunciet dignitatem, vel servet illam vindictam, quæ ipsi est virtus, in persona verò privata maximum vitium.

Ad.

Advertendum præterea, quod quisquis velit fugam honorum amplecti, non debeat honores ità contemnere, ut videatur ex albo Sanctorum velle delere Reges, Cæsares, Augustas, Romanos Pontifices, & alios in dignitate constitutos, qui Ecclesiæ maximè servierunt. Superbiam sapit quam maximam taliter contemnere honores, ut dicantur superbi, qui in honore vixerunt.

Quandoquidem duplex terminus à quo fugæ, nempe bonus, & malus, duplex pariter fuga, laudabilis una, vituperabilis alia, ut benè advertit Berchorius. De malo, à quo est fugiendum, intelligitur illud Ecclesiastici 21., *quasi à facie colubri fuge peccatum*; de bono autem à quo non est fugiendum, intelligitur illud proverbiorum 18. *Turris fortissima nomen Domini*. Ad hanc fugit justus etiam Jonas, qui voluit fugere à facie Domini, & hanc non fugijt ad Turrim, male fugit, & pœnam luit, dùm in mare projectus.

Quod

Quod mirabile in impijs id eſt, quod ipſi non fugiant peccatum, quaſi à facie colubri, ſed ipſimet colubri ſint, umbras nempe colentes, & vitiorum incedentes per umbras, viam imitantur ſerpentis; Narrat de ſerpentibus Plinius, quod ipſi fugiant nudos; homines verò veſtitos facilè aggrediantur. Non ſecus impij fugiunt homines pauperes, & cum divitibus tantum ſocietatem petunt habere. Certè damnabilis fuga, quæ non ſequitur Dominum repræſentantes, ſed eos, quorum divitijs demerguntur in profundum inferni, & evoment divitias illas, quas male deglutierunt; ut Jobi utar eloquio. Utinam imitaremur Leones, de quibus referunt naturales, quod cum arrepturi ſunt fugam, unguibus è gutture eijciant cibos, eoſque evomentes fugam facile arripiant.

Narratur quoque de ipſis ſerpentibus, quod rutam ipſi horreant; & fugiant à locis, in quibus naſcitur ru-

ta,

ta, quin horti, vel nemora, in quibus hæc producitur herba, immunitatem à serpentibus, & venenosis quibusque animalibus habent; Fugiunt magis à pænitentia impij, quam a ruta serpentes, sicut enim rutam ex causâ amaroris respuunt serpentes, itâ amaram pænitentiam degustare nolunt fugaces hi colubri. Non meæ mentis est hæc applicatio, sed ex laudato ingenioso quidem Berchorio desumpta.

Horrent quandoque scelesti homines correctionem, & à correctionibus fugiunt, quia verba fætidissima detractionis contra ipsos projiciunt, æque ac animal, cui nomen Bonnacon, de quo ferunt, quod cum venatores ipsum capere curant, stercus fætidissimum ejicit, cujus fætorem venatores tolerare nolentes, ipsum liberum sinunt abire. Debet unusquisque sibi consulere, & non à rete dæmonis capi, bene tamen ab ijs, qui in verbo Domini rete laxabunt. Mugil, dum rete videt, non modò fugit, sed saltat,

tat, & ut ità dixerim, volat, ne capiatur à rete, & pifces communiter locos illos fugiunt, in quibus abluti, vel occifi alij pifces. Deberent peccatores advertere ad eos, qui à rete dæmonis capti, abluti, & occifi pænas dedere, non in inferno tantum, fed hoc adhuc in orbe. Rete Domini h.m. homines tantum exhorrent, ad inftar mufcarum, de quibus narrat Solinus, quod in Templum Herculis ingrediebantur nunquam, & in ipfomet Templo Herculis clavam ex odoratu fugiebant canes. Horrent impij corrigi, & clavam Herculis Chrifti, correctionem nempè defpiciunt.

Ne imitemur canes detractores Cinicos nuncupatos ex proprietate canis, cujus eft mordere, neque bonnacon animal fætidum fuprà relatum adverfum noftros correctores, fed gratias referamus dulciter corrigentibus, fugiamus verumtamen eos, qui fub prætextu noftræ correctionis nos turpiter audent affligere, nec erit

dede-

dedecus Christiano à talibus fugere; sic enim respondit Athanasius cuidam increpanti eum, ex eo quod fugerat. Dixit ipse: *Si mihi turpe est fugere, turpius est vobis innocentem persequi.* Athanasius ipse nos fugam docuit, dum Imperatorem fugiens delituit in cisterna, & scripsit elegantissimum librum de Apologia fugæ, cui seipsum commiserat. Non profuisset tanti Athanasius universali Ecclesiæ sui doctrina, nisi fugisset, & noto quod ex Doctoribus Ecclesiæ sive græcis, sive latinis occisus nullus extiterit; ij enim sunt sal, de quo dicit Dominus Jesus; quod si sal evanuerit, non est, in quo quis condiatur.

Demosthenes aliquando fugam arripiens reprehensus à suis respondit *anir de fugon, che palin machisete* scilicet vir, qui fugit iterum præliabitur. Descripserat Demosthenes litteris aureis hæc verba in clypeo *agatitichi*, scilicet bona fortuna, vel bonus nuncius: malus fuit ejus eventus, dum

Phi-

Philippus Macedonum Rex Athenienſes vicit, quod fuit in cauſa, ut Demoſthenes fugam arriperet, nec proinde Demoſtheni dedecus illud. Dedecet fugere, ſed fugere à facie Domini, veluti Jonas, vel à facie Dominæ, quemadmodum Agar ancilla Sarai, unde reprehenſa ab Angelo. Dominus eſt Turris illa fortiſſima, ad quam fugiendum; non enim fuga deſperantium nos fugientes habebit, ſed Dominus ille, ad quem debemus confugere in tribulationibus noſtris; confugere autem decet aliquando, acceptando honores, & dignitates, ut ſic poſſimus præeſſe, & prodeſſe, & tunc imitabimur Samuelem, qui Betel, Maſphat, & Galgala circuibat, ut poſſet populo providere, debemus enim Paulum imitari, qui habebat ſolicitudinem ſuper univerſam Eccleſiam, & ſi ſoli orationi vacare voluerimus, quamcumque renunciemus dignitatem, ut meus Cæleſtinus, qui Deo ſoli volens vacare, Papatu ſe ſe

ultro abdicavit. Non debemus Deum tentare, expectando, quod Angeli pugnent pro nobis, ut legitur aliquando, puta pro S. Leone pugnasse, & recordemur, quod Moyse tenente manus elevatas vincebat Israel, qui perdebat, dum Moyses demittebat easdem.

Fugiamus ipsos honores, dum nobis offeruntur ab illis, qui solum, ut sibi serviant, & ventri, nos volunt præesse, sicuti turba illa, de qua dictum est, quod volebant Jesum regnare, ut non haberent, quo egerent, & ut ederent sine labore; odio quin prosequamur eosdem, sed odio Sancto non indiscreto, fuga enim est passio illa, quæ ad odium consequitur; nos enim fugimus ea, quæ odio habemus; Ut ergo dignoscamus, quæ fugere teneamur, præter doctrinas præjactas, expedit de odio bono, & malo, seu de malo zelo tractare, & propterea sit

CA-

CAPUT SEXTUM

De odio bono, & malo, vel de malo Zelo.

Dominica Passionis.

IN præcedenti sermone servavimus fugam ab hominibus, quam nos docuit Dominus Jesus, ut disceremus honores contemnere, sicuti docet Chrysostomus, & ut in Evangelio, quod in Dominica quarta Quadragesimæ legitur; in præsenti verò ex Evangelio, Joannis 8., quod legitur Dominica Passionis docemur persecutiones injustas effugere, & ibidem admonemur, quod odium debeamus absque scrupulo adversus impios servare, & narratur impium odium Judæorum adversus Dominum Jesum.

Refertur Joannis 8., Salvatorem impijs Judæis dixisse: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; vos propterea non auditis, quia ex patre diabolo estis*, & pau-

lo post redarguit eos, tanquam mendaces. Vides hic odium Salvatoris adversus hæbræos, qui traditiones volebant seniorum servare, Sabbatum custodiendo eo more, quo Pharisæi, & certè odium illud, nonnisi Sanctissimum, odium enim abominationis, & non inimicitiæ erat. Odium opponitur charitati, & veluti duplex est charitas, nempe erga Deum, & proximum, ità duplex est odium, aliud scilicet odium Dei, aliud proximi. Odium proximi, vel potest esse abominationis, vel inimicitiæ; sicuti amor alius est amicitiæ, alius verò concupiscentiæ, quo volumus bonum nobis. Ita & odiũ inimicitiæ est illud, quo volumus malum proximo, quia malum volumus ei, qui nobis nocet, vel apprehenditur, ut nocens. Odium abominationis est illud, quo diligimus malum alicujus, non tamen, quia odio habemus illum, sed quia abominamur actionem ejusdem, veluti malam. Justi abominantur injustos, & tale est odium, de quo

Da-

David inquiebat: *Iniquos odio habui*, ſed perſonam diligunt, & volunt bonum ijs, quos odio habent, odio tamen tamen abominationis, & non odio inimicitiæ, ac propterea dicitur, quod Judæi erant inimici Chriſto, ſed Chriſtus non erat inimicus Judæorum. Sequitur in Evangelio, quod Judæi tulerunt lapides, ut jacerent in eum, ſcilicet in Jeſum, & hoc eſt odium inimicitiæ, quod habebant Judæi; habes ergo ex Evangelio loco laudato odium utrumque, bonum unum, malum aliud. Hic utrumque tractandum.

Odium, prout amplectitur bonum, & malum moraliter, eſt diſſonantia ad id, quod æſtimatur nocivum. Hoc autem duplex eſt, nimirum reale, & perſonale: Odio reali moraliter bono proſequimur impios, ſolum tamen deſiderantes, ut ij corrigantur, vel quoniam Dei inimicos odio habemus. Odio moraliter malo proſequimur bonos, veluti Saul ex invidia perſequebatur Davidem, ſive

fratres Joſeph Joſephum eundem?

Odio reali moraliter bono proſequi debemus vitia. Odio moraliter malo, & reali proſequimur virtutem. Ex his omnibus habes, quamnam debeamus diſſonantiam amplecti, & facile conſequemur diſſonantiam conſonantem, ſive odium bonum, ſi velimus mores noſtros concordare moribus inimicorum, in ijs tamen, in quibus eos decet imitari; flendo cum flentibus, & cum gaudentibus congaudendo.

Sunt, & probiſſimi viri, qui odio proſequuntur homines quoſdam, quorum impietatem deteſtantur, ſed quandoque ex intentione excuſandi, non autem, utpotè benè agentes.

Non reperimus majorem charitatem inter Apoſtolos, quam eam, quæ in Joanne vigebat, & tamen Joannes adverſabatur eos, qui non erant ex genere Apoſtolorum, & in nomine Jeſu eijciebant dæmonia, ex quo Dominus

Jeſus

Jesus reprehendit eundem dicendo; quod debebat finere etiam non Apostolos talia operari; qui enim non est contra Deum; pro Deo ipso propugnat. In veteri testamento ex omnibus, qui sequebantur Moysen, non est inventus similis Josue, & tamen hic nolebat prophetare alium, quam Moysen ipsum, de quo, & à Moyse fuit ipse increpatus.

Homines quidam agrestes, & indole rustici agreste, novercale, & irreconciliabile odium habent, quoniam eorum agreste temperamentum non consonat cum dulcedine illa, qua sunt præditi benigni spiritus quidam; unde expedit mores componere, & temperare, itàut consonent moribus eorum, quibus cum vivimus, & in hoc differt animal irrationale ab homine, quod illud debeat sequi naturale temperamentum; hic autem debeat idemmet moderari. Est naturalis antipathia, odium, & inimicitia ovem inter, & lupum, & hæc est adeò insita

ovi, ut maneat adhuc poſt mortem?
Attendite: Si fides componantur ex inteſtino ovis, & junguntur fidibus ijs, quæ ſunt compactæ ex inteſtino lupino, exauditur ſonus fidium lupinarum, non tamen propterea audietur ſonus fidium ovilium, & mutæ cordæ ipſæ ex inteſtinis ovium remanebunt, ſicuti ante mortem ovis viſo lupo remanebat muta, ut, & ejus audito ululatu. Hoc idem ſervabis in tympanis, ſi enim duo tympana componantur, quorum unum ſit ex pelle ovina, ex pelle aliud lupina, pulſatis ambobus illud ſolum audietur, quod eſt ex pelle lupina. Optima ſit muſica ex quadruplici voce diverſa, & armonica lira ex diverſis fidibus: Et muſica, & armonia homines tantummodò delectantur, quia ſolum convenit ijs moderari temperamentum, & altum cum humili concordare, quod ſervare nequeunt irrationalia animalia. Concordemus temperamentum lupi cum temperamento ovis, &

ſi

si vos agni cor possidetis, evadatis lupi, in ijs tamen, in quibus lupi mores non dedecent homines: Vulpes exterius existentes scilicet hæretici, vel dæmones gaudent de alterutrius morte.

Narrat Æsopus, quod dimicabant aliquando Leo, & Ursus, Vulpes autem à longe prospiciebat exitum amborum, & cum tandem fessi jacerent Ursus, & Leo, Vulpes hinnulum rapuit; & Leo, & Ursus contristati dixerunt, se laborasse pro vulpe. Sunt vulpes hæretici, ut & dæmones, qui demoliuntur vineam, quæ est Ecclesia, si possunt, & cum vident pugnantes Catholicos habentes mores lupinos cum ijs, qui mores habent Agnorum, & ovium de eorum lite lætantur.

Hæc forsitan innuit Isaias cap. 11. monens: *habitabit Agnus cum Lupo*, ut & idem cap. 25. Lupus, & Agnus pascentur simul; Quæ omnia benè exponit Menochius, per hoc, quod ij, qui

qui sunt moribus, & ingenijs oppositis, tempore Messiæ, vel in statu naturæ reparatæ, unius futuri essent moris, juxta illud Davidis inquientis de Deo; *qui habitare facit unius moris in domo*. Habitabunt utique unius moris in domo, quando servabunt, quod observat Augustinus sermone 42. de tempore: *Fratrem ne oderis, quasi inimicum, sed peccatum, velut morbum persequere*. Debemus odio habere iniquitates fratrum nostrorum, sed fratres ipsos ex toto corde diligere; talia enim perpetrantes corda fratrum nostrorum convertemus ad Deum, & ipsi odio habebunt æquè, ac nos proprias iniquitates, & servabunt; quod ex eodem Augustino sermone 3. de diversis: quid est propria mala odio habere, nisi pænitendo confiteri peccata? confitebuntur, inquam, peccata.

Ex parte Dei est quisquis oderit fratrem inquitatem odio habendo, non autem personam iniquam. Si er-

go velimus esse perfecti; sicut & Pater noster perfectus est, debemus æque diligere bonos, & malos, sicut pluit super justos, & injustos gratia divina. Non redarguendus quisquis morem servaverit Domini Jesu; qui Pharisæos reprehendit. Charitate plenus erat Baptista, & tamen ipse genimina viperarum vocavit ingratos fideles. Ex his omnibus patet, quod odium sit utique bonum, si respiciat iniquitatem, malum verò, si referatur ad fratrem. Passio itaque odii non debet causari ab ipsa persona, sed ab injustitia, & tunc effectus ejus erunt utique boni, nec redarguendi.

Si videris habentem odium injustum, leges in fronte ipsius odij perversitatem, non ita si odium benè sit regulatum. Frons rugatur, oculus ardet, vultus pallet, fauces arescunt, & obstringuntur, dum odium ex rancore, vel perversitate excitatur; non ità dum odium adversus iniquitatem. Hæc omnia adnotare volui-

luimus, ut causas, & effectus odii perpendere valeatis, nunc autem sit

CAPUT SEPTIMUM

De Desperatione, & Fiducia in unico Deo.

Dominica Palmarum.

IN Dominica Palmarum legitur apud Matthæum, quod inquit Dominus Jesus, *Eli, Eli lammasabatani: ideft Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Calvinus, & alii hæretici inde occasionem desumunt dicendi, quod desperaverit Dominus Jesus, quando talia protulit, & propterea ipse Dominus Jesus sit damnatus, & in infernum descenderit. Horrent aures in tali blasphemia, quæ potius toleratur apud hæbreos Christum negantes, quam apud hæreticos, qui Christi doctrinam se profiteri prætendunt. Certe communi-

ter nomine desperationis venit vitium illud irascibilis, quo quis de divino diffidit auxilio, & de hoc dicit Berchorius,quod vitium pessimum sit desperatio, quin Philo Judæus censet homini rationis experti solum desperationem convenire, & Cyprianus Chartaginensis apud Cælestinum nostrum Crespetium probat desperationem semper esse damnandam, atqui Loya monet rationabilem desperationem reperiri in eo, qui de naturalibus diffidit auxilijs, & hic, si in Deo confidit, erit certè laudandus.

De Davide primo Regum cap. 24. Scriptura narrat eum desperavisse, cum putarat, se non posse effugere de manu Saulis. Alphonsus Tostatus duas ingeniosissimas pertractat quæstiones de tali desperatione Davidis, inquirens, num, & quando peccaverit David taliter desperando, & concludit eam desperationem peccaminosam haud quamquam fuisse.

Valde damnanda est desperatio, quan-

quando quis de divino diffidit auxilio, & exemplum præſtitit nobis ex veteri Teſtamento Cain, ex novo Judas, Diſplicuit mage Deo diffidentia Caini, & Judæ, quam fratricidium primi, & proditio ſecundi,

Ex Caino de miſericordia Dei diffidente proceſſit Cajanorum hæreſis, qua ejus impij ſectatores defendunt majores eſſe hominum iniquitates, quam miſericordiam divinam, ſed, & ſolet deſperatio aliquando procedere ex immerſione in laſcivo amore, & hæc certe mala, ſed minor, quam prædicta; ex hominis enim ardenti concupiſcentia, & fragilitate procedit is amor; ſic de Pyramo, & Thisbe narratur deſperatos perijſſe, quia ex laſcivo amore ſeſe mutuò amantes deſperati periere, dum unus credidit aliam a feris devoratam, alia vidit occiſum eundem, quem impie, & laſcivè adamabat,

Aliquando deſperatio provenit ex triſtitia,& hæc plerumque eſt mala

la, sed & aliquando excusabilis. Excusat eam Gregorius in libro moralium in Job interpetrans in bonam partem, quod protulit Job, dum inquit, *desperavi, jam ultra non vivam*, quod exponit Gregorius advertens, quod justi desperare sit idem, ac non sperare in temporalibus rebus, sed in uno Deo confidentiam omnem collocare, & talem censet extitisse desperationem Job, & revera id innuit David, dum dixit: Nolite sperare in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Vituperabilis est desperatio, dum tristitia ex superbia, aliove injusto motivo originem trahit, quare Cleopatra, quæ mortuo Antonio aspidem brachio apposuit, & sic desperata mortua est, ne in triumphum duceretur à Cæsare, desperatione impia desperata, ut & Cato Uticensis, qui seipsum occidit proprio ensi incumbens, viso, quod Pompejus, cui ipse favebat, victus erat à Cæsare. Omitto Hispanos Saganthinos, qui

qui se, sua pretiosa, & liberos igni dedere, ne in manus Pænorum, cum quibus pugnarant, se darent. Quarta, & ultima causa desperationis Acedia, vel, ut vulgo dicitur, Accidia, dum nempe homines quidam in desperationem incurrunt, quia negligunt pia opera exercere, Deoque deservire. Legitur de Erisichtone, quod ob neglecta Cæsaris Sacra membra suimet devoraverit, atque corroserit in pænam cultus non dati Gentilium Deæ Cereri, & licet hoc inter fabulas reponatur, tamen voluerunt ipsi Gentiles per hoc indicare, quod qui Deo non præbet cultum, quem debet, in desperationem incurrit. Noscebant Gentiles, quod in Cælis regnet Sapientia, quæ fortiter, suaviterque cuncta in terris disponit, sed decepti sunt ipsi Ethnici in hoc, quod Deum non verum adorabant, sed de hoc videatur Daniel Huvetius in demonstrationibus Evangelicis, vel in sua Mythologia Natalis Comes.

Ut medeamur desperationi impiæ', debemus in primis advertere, quod desperatio mala non tollat, sed potius accrescat, & certe conformitas voluntati divinæ est maximum remedium cōtra desperationem. Quippè deberemus à Gentili Epicteto doctrinam assumere, qua ipse Deo dicebat: *ducito me quòcumque volueris*, nec ipse mori, vel infirmari curabat, quia omnia sciebat à Dei ordinatione prodire.

Symbolum desperationis est mulier amicta veste colore nigello ad album declinante, quæ habet ramum cupressi in sinistra, & in terra circinum fractum: dicitur *colore nigello*, &c. quia vultus desperati languescit, & labia albescunt. Ramus cupressi apponitur, quia cupressus resecata non repullulat, & in desperato non regerminat spes; circinus fractus notat, quod ratio non moderetur spem.

Desperatos tandem vos velim, nempe in vestris viribus minime con-

fidentes, sed in divino dumtaxat auxilio, memores ejus, quod dicit Chrysostomus homilia 68. exponens illud, quod meretrices, & publicani præcessuri erũt Israelitas ubi advertit innumeros Dei familiares ex peccatoribus effectos fuisse. Si ergo peccata, quæ nos tenent, ad desperationem invitant, clamemus ad Deum, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

CAPUT OCTAVUM

De Desiderio, & de Passione Christi Domini.

Feria 6. in Parascene.

NOn potest certe desiderium exprimi melius, quam per figuram sitis. Sitis quippe ægritudo est corporis, qua ventriculus humido carens potum desiderat, & non est inter desiderabilia quod magis à vivente desideretur, quam potus. Isaac Cardo-

sus

ſus benè impugnat Mercurialem dicentem à ſiti neminem extinctum fuiſſe, & revera ex omnibus tormentis, quæ Chriſtus Dominus in Cruce ſuſtinuit, maximum extitit ſitis, unde de nullo conqueritur, niſi de ſiti, equidem dicitur Joannis 19. (ut legitur in feria 6. Paraſceve, in qua currit ſermo de Paſſione) *Jeſus ergo ſciens, quod omnia conſummata jam eſſent, ut conſummaretur Scriptura, dixit Sitio.*

Obſervat Joannes Ferus myſticum, & litteralem hìc exprimi sēſum. Litteralem loquutus eſt Jeſus; dum ſitim expreſſit; ratione enim ſanguinis, quem fere totum effuderat, ob cruciatus, & dolores eximios, ſiti adeò ardenti flagrabat, ut David nomine ipſius Chriſti prædixerit: Adhæſit lingua mea faucibus meis. Myſticum habes adhuc hìc ſenſum expreſſum, nempe deſiderium ſalutis noſtræ. Deſiderabat mundi Salvator Diabolum vincere, & hominem de manu Dæmonis liberare, ut idem Jeſus advertit, ac proinde

dixit, Sitio. Sitiebat, & ipse novum bibere Calicem, quasi dixisset, quod si calix ille Passionis, quem biberat, non satis fuisset ad humani generis redemptionem, ipse non renuisset nova pati tormenta, novum sumere calicem. Est à nobis quoque Dionysius Cartusianus asseverans Christum nostram tunc desiderasse salutem, & propterea suam sitim tunc declarasse, quæ maximum revera tormentum ex Nicolao de Lira, in glossa.

Meus est hic animus explanare, quomodo cuncta inter tormenta, quæ in sui Passione sustulit Jesus, primum teneat locum sitis illa, quā declaravit, tum mystice, tum litteraliter, & ut ad rem nostram sermonem totum dirigamus, in primis advertimus desiderium omne bonum in Christi Passione explanari, & desiderium omne malum in ejus persequutoribus designari; quod, ut facile assequamur, cum Angelico monemus, peccatum quodcumque aliud non esse, nisi inordinatum amorem.

rem, Inordinatus amor, seù desideriũ propriæ excellentiæ est id, ex quo superbia dimanat, quin est ipsa superbia. Respice Christum Dominum in Cruce pendẽtem: vides eum non inordinatè propriam expetiisse excellentiam. Dixerunt impii Crucifixores: si Filius Dei es, descende de Cruce.

Qui humilitatem de Cœlo docere descenderat, de Cruce descendere non exoptabat, ad sui defendendum honorem. Lucifer, & Nabuchodonosor ad ima depressi, quià supra Dei solium se exaltare autumarunt, non ità Dominus humilitatis Magister, qui cùm alium non haberet se exaltandi modum, humilitate in Cruce exaltatus exaltavit se ipsum, ut Bernardi utar eloquio. Didicimus ex Augustino in Psalmum 122. *Desiderio bono levamur ad Deum, desiderio malo ad ima deprimimur*. Bonum utique Christi Domini desiderium sitis fuit ipsius, & id confirmat ipsemet Augustinus in Psal. 62. ubi docet quod desiderium

sitis est animæ,

Desiderium definitur à nostro Loya amor boni absentis, in quod appetendo tendimus. Bonus amor, boni absentis in Christo Domino fuit, bonumve desiderium, non ad honorem tendendo inordinatè per superbiam, sed solummodò ad salutem animæ nostræ. Bibimus pro salute aliorum aliis propinātes, ut inde explicemus nostrā sitim, nostrumve desiderium non aliò tendere, quam ad salutem ipsorum, quibus pocula bibimus, Antiqui bibebant tot ciathos, quot erant litteræ nominum Amasiæ, vel Imperatoris, quorum salutem augurabant. Hinc Martialis libro primo.

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur,
Quinque Lycas, quatuor Lyda, sed Ida tribus.

Dicitur Nævia, sex cyathis, quia dyphtongus AE antiquitus pronunciabatur per duas literas a e. Idæ nomen, quod in dato distícho Martialis hic

hìc cernitur, dat ansam exprimendi desiderium Sanctæ Idæ, cujus annua festivitas celebratur hac die. De ea refert Ecclesia, quod desiderio ardentissimo Eucharistiæ adeò flagrabat, ut quandoque sanguinem fuderit ex nimio ardore, quem in corde conceperat.

Placet Tancredi sententia, quæ sustinet sitim nõ modò ex ventriculo, sed & ex corde, & pulmone exoriri. Refert Galenus sitim aliquando ex corde nimium calefacto exoriri; & ejus inter signa reponit respirationẽ eximiam, Iracundiam, necnon audaciam. Hæc omnia fuerunt in Christo Domino, & in Ida, in cujus corde Sacra Stigmata Christus Iesus inussit; ea tamen, audacia, & iracundia quæ bonæ sunt, ut supra in de Audacia, & infrà in de Ira fuit, & erit eloquium.

Non iratus est Dominus ex eo, quod nuditatem sit passus, non enim avarus, vel auri avidus, nec aliam desiderabat vestem, quam habitum ipsum

virtutum. Unde non fuit ab eo exclamatum, quod se nudum videbat, sed bene tantum, quod siti erat oppressus: Virginem Joannem matri Virgini commendavit, & tunc Joannes recepit Christi matrem in sua, vel ut alii legunt, in suam; per hoc volens innuere, quod filius jamjam moriturus, non nisi de virginitate cogitans testamentum effecit, qno voluit, ut Joannes provideret de domo, & victu ipsi Virgini matri, & ex hoc bene intelligimus luxuriæ ardore Christum non flagrasse. Quid [dicam de gula? Scimus Evam peccatum per gulam primum in mundum invexisse, & hinc adversus gulam flagrans Dominus Jesus non aliud desideravit, quam vinum illud degustare, quod potius erat adversus gulam quamgrande remedium. Fateor acetum solitum dari, ad hoc, ut laborantes recreentur, & ad vires refocillandas, sed, quod fuit præstitum Christo Domino, fuit vinum acetosum, non vero acetum.

Ta-

Tametsi acetum communiter dicatur, quod fuit Christo Domino prcpinatum, quandoquidem sic verificatum illud Davidis, *& in siti mea potaverunt me aceto*, tamen cum Tirino probabile credo vinum illud fuisse acetosum, & profectò satellites in odium Christi Domini non attulerunt vinum myrrhatum, quod vires auget, & roborat corpus, neque acetū, quod ex Plinio est vitium vini, quod vertitur in remedia, quoniam infirmitates cohibet, refrigerat, & confortat, sed vinum acetosum nihil habet emolumenti, & solummodò est potio gulæ iniucunda, & stomacho noxia, ex quo eruere licet, quod ex maximis tormētis à Christo in Cruce toleratis tale fuit acetum, seù potius acetosum vinum.

Nonne poterat Dominus Jesus pristino vigori vinum illud restituere, quemadmodum laudata Ida acetū pristino vigori restituit, & cerviliam in vinum convertit? poterat sane, sed

no-

noluit,& demonſtravit ſui tantummodo deſiderium tendere ad bona æternalia,& non ad illecebras carnis. Prava concupiſcentia pomi mortem in orbem invexit; deſiderium ligni vitæ, ſcilicet Euchariſtiæ omne abſtulit deſiderium pravum, & vitam induxit,& indè concluditur Chriſti deſiderium bonum,& ordinatum;deſideravit tamē & Chriſtus potum temporalem, ſed ſolum, quantum ſatis eſſet ad guſtandum,non verò ad bibendum. Guſtàvit Dominus,ne beneficium renuere,tamquam inurbanus,putaretur;ſed renuit bibere, ne ſibi accelerarat mortem, & ut inde dignoſcerent diſplicere ipſimet crudelem adeò barbariem,laudato teſte Tirino in Matth. 22.

Non fuit deſiderium Chriſti Domini ſui tantum tendens ad bonum, veluti ſolent invidi homines: quod, & demonſtravit per hoc,quod videns Barabbam dimiſſum,non ex indè contriſtatus; & latroni petenti veniam, veniam conceſſit,dum ait; hodie mecum

eris

eris in Paradiſo: eo ipſo die in Paradiſo fuit bonus latro, quare tunc gratiæ fluenta ex Divino fonte potavit, & ex ſacro latere Chriſti Sacramenta manarunt, per quæ Paradiſi apertæ ſunt portæ.

Deſiderium omne Chriſti Domini in Cruce pendentis bonum concluditur, & deſiderio quietis æternæ, non verò otioſæ deſidiæ. Accidioſi deſiderio pravo tenentur, quo pigritiam ſolummodò amant; non ità mundi Redemptor, qui Pſalmos recitavit adhuc in Cruce, quare cenſent Interpretes, quod Chriſtus Dominus clamavit in Cruce: *Deus Deus meus, ut quod dereliquiſti me*? Pervenerat enim poſt recitationem præcedentium in Pſalmo ad illud Pſalmi *Deus, &c.* dum in cruce taliter exclamavit. Ità Tirinus in Mat. 27

Periit Siſara accidioſorum figura, dum dormiens, ac clavo per Yaelem confixus miſere periit, dum nempè lac potans ſomnum obtinuit, eoque correptus in manus incidit hoſtis. Domi-

nus

nus Deus aceto, vinove acetoso contentus,non somnũ, sed vigiliam exoptabat, & per hoc nos ad desiderium omne bonum invitat.

Tenemur naturaliter desideriis, sed non semper peccamus propterea, ut Augustinus adversus Julianum affirmat. Si velimus temperare desiderium fluctuans, Christum amplectamur halcyonem mysticũ, juxta phrasim Berchorii. Ferunt naturales de halcyone, quod dum hæc avis in mari ova fovet, maris cessat tempestas, & in media hyeme per 14. dies tranquillũ est mare, dum halcyon super ova incumbit. Mare magnum hæc vita est, hoc mare magnnm, & spatiosum manibus davidica phrasi, & desideria terrena nos fluctuare desinunt, dum Christi desideria dumtaxat curamus.

Debemus, ut jumenta fieri apud Deum, desiderantes aquam mundam gratiæ salientis in vitam æternam; de h.m. enim jumẽtis David intelligebat, dum ait *expectabunt onagri* (idest asini

fil-

silvestres), *in siti sua*. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, non curãs apprehendi à venatoribus, ne turbidam bibat aquam, sed limpidas hauriamus aquas de fontibus Salvatoris pro nobis passi, nec imitabimur immunda illa animalia, vel homines, qui nascuntur in constellatione Saturni, nec dominantur astris; de iis enim Astrologi referunt, quod nonnisi immunda desiderant, & si nos tali fuerimus sub horoscopo nati, propriam ne sequamur inclinationem, seu naturale desiderium, sed solum Pauli Apostoli imitatores cupiamus dissolvi, & esse cum Christo. Sit ergo desiderium nostrum resurgere cum Christo, & compatiamur cum eo, ac propterea sit

CAPUT

CAPUT NONUM.

De Spe, & de Resurrectione Christi Domini.

Pascha Resurrectionis.

SPes est desiderium de bono futuro arduo, unde solum distinguitur à desiderio, per hoc, quod desiderium respiciat locum futurum facile acquirendum; Spes vero sit de bono futuro, quod de difficili potest haberi.

Spes Theologica est desiderium illud habendi bonum spirituale, & bona æternalia, quæ de difficili obtinentur; Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Spes verò passio sensibilis est ille appetitus, quo desideratur bonum sensibile futurum arduum, nempè de difficili consequendum. Marci 16. in Evangelio, quod recitatur Dominica Pasquæ Resurrectionis legitur, quod Angelus Mariæ Magdalenæ protulit, scilicet, *Dicite Discipulis ejus, nempè Christi, &*

Pe-

Petro, quia surrexit Dominus, & præcedet vos, in Galilæam, sicut dixit vobis. Spem hic habes Theologicam, & spem passionem sensibilem inde adhuc doceris, quandoquidem vides exinde Mariam Magdalenam, Discipulos, Petrumque sperasse, & temporalia bona, & bona æterna ex Resurrectione Domini Jesu. Ne videar proprio marte aliquod fingere, & ut ad rem nostram applicem dicta, placet in medium afferre auctoritatem Tirini dicentis, quod Mariæ Magdalenæ Christus Dominus voluerit primum apparere, ut ipsa exinde speraret; quin Menochius censet, quod Petro potissimum nominatim facta sit revelatio, ad hoc, ut Petrus spem haberet, & de venia fiduciã obtineret, & hinc factum est, quod Christus moneret per juvenem illum, qui Angelus erat, quod præcederet in Galilæam ipse Dominus, quemadmodum prædixerat eis. Præcessit Christus in Galilæam quia Galilæa ex hebræo vertitur revelatio, vel transmigra-

gra-

gratio,voluit idcircò in Resurrectione Salvator primum esse in Galilæa, ut se revelaret iis, qui transmigraverant de vitiis ad virtutes, quemadmodum Magdalena, & Petrus; Placet propterea Estii sententia,qua ipse putat probabilius esse, quod non primū revelatio facta fuerit Virgini Matri, ut aliqui censent; Virgo enim Mater Maria firmissima in fide, & constans in patientia non egebat tali revelatione,ut filii servaret amorem. Surrexit Christus Dominus in aurora, sicut Menochius affirmat, teste etiam Ambrosio in hymno, quem canit Ecclesia, *Aurora lucis rutilat*. Aurora est symbolum spei, eaque solet figurari spes; spes,inquam,cum veste rutilantis coloris,auroræ, & cum floribus ad indicandum, quod quemadmodum ex floribus fructus expectantur,sic è spe expectatur bonum possibile apprehēsum,ut tale.

Ethica docet spem temperare, & tum Theologicæ spei, tum spei natu-

rali modum imponere. Spes Theologica virtus à gratia supernaturali dependet, sed & nostrum ingenium debet servare regulas quasdam, ut talem Dei gratiam consequatur. Ex ipsa Maria Magdalena sperare docemur, sicut ipsa speravit; Emit aromata, ut ungeret corpus Jesu, nec voluit sola fide, sed aromatibus operum salutare Dei sperare; Quare impius Lutherus fallitur asserens sola fide posse hominem justificari, & æternam vitam esse sperandam ab eo, qui solummodò credit. Fides sine operibus mortua est, ut inquit Apostolus, sed hoc dogmatici videant. Nostrum est obiter adnotare, quod & ipsi Novatiani hæretici errēt, dum docent, spem nullam reperiri in eo, qui post agnitam semel fidei veritatem, peccatum aliquod perpetravit. Spes est motus animi tendens ad id, quod adhuc, quis non habet, sed expectat. Expectat Dei gratiam pœnitens: Maria Magdalena ipsa est, quæ dixit, *Surrexit Christus spes mea, præcedet vos*

in Galilæam, nempè in locum, qui interpretatur transmigratio, & licet septem dæmonia ex ipsa ejecerit Jesus, & consequenter illa dæmoniū habuerit, tamen speravit in Christum, & spes ejus non erat Dæmonium, velut Platonici censent, dicentes, quod quælibet passio sit Dæmonium hominem tentans. Spes non tentat, sed animum addit, & vires & quisquis spem habet, facile ponit media, ut bonum assequatur illud, quod sperat.

Effectus spei est media resarcire, & ponere, ac impedimenta dimovere, ut bonm quis assequatur, quod sperat, sed tota ratio regulans spem consistit in hoc, quod quis sperat speranda, nō speranda non speret. Bona fuit spes Petri, Mariæ Magdalenæ, Marię Ægyptiacæ, Mariæ Neptis Abrahæ Eremitæ, quæ post peccatnm veniam sperarunt, & sunt assecutæ; quia per pœnitentiam se à peccato mundarunt.

Augustinus in Ps. 118. dicit, quod vera spes sit ibi, ubi veritas est, & vana

spes

ſpes ſit ſub ſole, ubi vanitas eſt vana. Ergo ſpes figuratur per puellam elatam, altis capillis, uno oculo in fronte, mammis nudis, cum cucurbita in una manu; & per hoc ſignificatur, quod ſpes vana ſit inconſtans, veluti ætas puellę, ſit ſuperba, & ſuperbis cogitationibus plena, lactet innumeros ſtultos; & veluti cucurbita creſcit, & citò perit, ità vana ſpes citò oritur, & moritur citò.

Spes bona, & vera deſignari ſolet per anthiam piſcem, ſicut enim hic piſcis fugat belluas marinas, & ubi ipſe degit, eſt quisquis à belluis, & urinatoribus ſecurus, ita qui in Domino ſperat. Spes hæbraicè dicitur betac, & græca voce batac, nempè confidit; quisquis ergo confidit in Domino, in pace in idipſum dormiet, & requieſcet, ſcilicet in ſpe Reſurrectionis moritur, ut Maldonatus exponit.

Ex his bene habes ſpem eſſe laudabilem, & Apoſtolos reprehenſos, dū ſperare deſtiterant; quia enim dixe-

rant, nos ſperabamus, quod Chriſtus Dominus à mortuis reſurgeret, quaſi dicerent, non ſperamus, à Chriſto Domino reprehenſi, ut videre eſt in ſequenti ſermone,pro quo ſit

CAPUT DECIMUM.

De Ira,& De Correctione fraterna. Feria ſecunda Paſchæ.

DIxit Jeſus Diſcipulis *ò ſtulti, & tardi corde ad credendum*, ut habetur Lucæ 24. & hoc ipſum eſt thema,quod Concionatores poſſunt aſſumere feria ſecunda poſt Paſcha, & pro exordio ipſi uti valebunt Apoſtrophe ad Dominum Jeſum ſic alloquentes: Nonne tu es Domine Jeſu, qui exemplum nobis dediſti,ut quemadmodum ipſe feciſti, ità & nos faceremus? Eccur itaque reum gehennæ ipſemet judicaſti eum,qui diceret fratri *fatue*,quod idem eſt, ac *ſtulte*? Nũquid,& teipſum reum gehennæ dicemus,

mus, qui dixisti Discipulis tuis, quos fratres non veritus es appellare, *ò stulti, & tardi corde ad credendum!* Dionysius Carthysianus ænigma omne dissolvit: enarratum ipse sibi problema proponit,& taliter ab illo se expedit: attendendus est animus,expendendus est finis; ex eo pensandæ sunt hominũ passiones. Quisquis ex ira iniusta fratri irascitur suo, eumque stultum appellat, is procul dubio meretur ignem æternum,at si quis justa de causa fratrem nominat stultum, is nullo modo est ulla nota taxandus. Illud Davidis, *irascimini,& nolite peccari*, evidenter demonstrat justam quandoque iram esse, dum nempe non quis irascitur Deum lædendo, sed causam Dei assumendo,& pro ipso pugnando.

Adverte hic cum Tirino, quod ira debeat statim deponi,& certè Christus Dominus statim ipsam deposuit, nec stultos dixit Discipulos ex eo, quod non crediderint iis; quæ ipsemet dixerat Christus. sed quià non

crediderant Prophetis in omnibus iis, quæ locuti fuerant, esto Tertullianus adversus Marcionem sentiat esse legendum, *quia non crediderunt Christo*. Vulgatæ magis fides est adhibenda; sed etsi cum Tertulliano illud dicamus, semper tamen est verum, quod Christus non sui, ut hominis, sed sui, ut Dei causam assumens fuerit meritò iratus.

Ira indita est à natura, ut avertatur malum, & irascibilis facultas ad concupiscibilem defendendam, & bene sentit Galenus neminem iram occidere, & quod ipse de occisione corporea, ego de animæ occisione interpretari non dubito. Legimus homines plurimos ex ira esse defuuctos, & hoc bene salvatur cum dicto Galeni, per hoc, quod ira à prudentia non regulata occidere valeat, non ira, quam prudentia regulat benè.

Valentinianus primus, Nerva Imperator, Mathias Corvinus Rex Hungariæ, & alii perierunt ex ira, sed ex

vi-

vitis ipſorum intelliges iras illas extitiſſe iniuſtas.

Hi ſunt ii, de quibus dicitur in libro Job, quod ſtultum interimat ira. Ira quippè mala moraliter occidit corpus, & animam; unde propoſitio pro noſtro ſermone, ſivè argumentum eſt: Ira perniciosa eſt animæ, & corpori, ſi ſit mala moraliter, eſt vero utilis animæ, & corpori, ſi ſit moraliter bona.

Introducamur ad thesim noſtrã probandam per adnotationem iræ, quæ eſt peccatum mortale, & iræ, quæ eſt veniale. Ira eſt peccatum mortale, ſi eſt appetitus vindictæ iniuriantis deſiderando, quod graviter puniatur iniurians, primò, qui non meruit punitionem. ſecundò, quando pluſquam meruit ille puniri; tertiò, ſi deſideratur, quod non à legitimo judice pœna inferatur, quartò, ſi deſideratur punitio, non ex ratione veri zeli, & juſtitiæ; quintò, ſi ſine dilectione Dei & proximi cum gravi damno injuriantis.

Ira eſt itidem peccatum veniale, quando non appetitur pœna gravis. Secundo dum ante uſum rationis, ſi non præbeatur aſſenſus. Tertiò, cum oſtenduntur ſigna quædam exteriora impatientiæ, ex quibus leve ſcandalũ poteſt oriri, & tandem ſingula illa, quæ à Theologis adducuntur ad dignoſcendum veniale à mortali.

Ad indigitandum veritatem primæ partis aſſumpti ſatis eſt indicare, quod Chriſtus Dominus impeccabilis erat, & tamen iratus eiecit ementes, & vendentes à Templo, quòd certè nec veniale peccatum in ipſo, qui ex ſolo zelo juſtitiæ ita fuit iratus, nec diceret David iratum Deum, ſi ira ſemper eſſet moraliter mala.

Lactantius Firmianus, Bernardus, Chryſoſtomus, Damaſcenus, & Baſilius docent iram aliquando laudabilem, imo Auguſtinus dicit, ut & ipſe Baſilius, quod non iraſci ſit aliquando peccatum.

Remiſſio vocatur vitium illud, quo quis

quis non irascitur, dum debet irasci, & qui nõ corrigit filiũ, certè pius non est, sed tunc pius, cum irascitur, ei; hoc tamen intellige sano modo, ità ut limites correctionis non excedantur.

Ira solet fortitudinem sustinere, & virtutes omnes per iram exerceantur, rationabilem tamen, & moderatam.

Symbolum Iræ Elephas est, & ipse met Elephas pietatis est symbolum, nam Elephas propria manu dimovet agnellos, oves, & arietes, ne sua mole opprimantur hæc animalia, & tamen cum Elephas provocatur, est ferocissimum animal. Annibal debuit quoddam tranare flumen cum Elephantis, & ut Elephanti flumen traiicerent, jussit, ut quidam vulneraret Elephantum, & postea fugiente eo, qui vulneraverat, vulneratus adhuc flumen tranavit, & cum eo Elephanti omnes.

Narratis iis, quos stultos interemit ira, videatis eos, quos ex zelo Ira

ani-

animavit ad Dei gloriam quærendam, in iis, quæ de fortitudine prænotavimus. confirmantur hæc omnia ex ſymbolo artificioſo iræ, ex quo ejus effectus mirabiles eruis.

Depingitur ira accenſa mulier, veſte, & cute purpurea, cujus cervix elata, coma decompta, crines ſerpentini, frons corrugata, ſupercilia elata, oculi micantes, naſus acuminatus, labia albeſcentia, vultus horrens, os ſpumans, humeri lati, manus ſeſe invicem percutientes. Hæc omnia effectus ſunt iræ. hæc autem ira triplex eſt, nempè acuta, amara, & gravis. Acuta, ſeù fellea eſt illa, quæ prodiens ex felleis vaporibus cito irrumpit, & deſinit cito; Amara, ſeù Ira, quæ dicitur mania, eſt diù manens, ex qua maniaci quidam effectus ad inſaniam accedentes; Ira gravis dicta Cotus, ſeù furor inſaniæ haudquaquam diſſimilis extat. Vides ex iis è felle iram ortum deducere, hinc Poeta cecinit:

Hinc, quæ felle carent animalia neutique poſſunt.

Ira-

Irasci, pacemque petunt, ac bella recusant.

Effectus autem maniacæ Iræ Ovidius descripsit, dum de tali cecinit ira:

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Ora tument ira, nigrescunt sangnine venæ.

Lumina Gorgoneo sævius angue micant.

In Epilogo sermonis adferes causas iræ, easque adnumerato easdem, quas passionum immoderatarum, immoderatæque superbiæ memoravimus supra. Medicinas tandem illas ad medendum iræ colligito, quas ex humiditate opportunas conflaveris, & quandoquidem pax, seù amor opponitur iræ, hæc satis sunto pro capite seù sermone de Ira, nunc autem sermo sit, seù

CA-

CAPUT XI. & ultimum.

[De Amore, ubi innuuntur quædam de Tristitia, & de Pithagorica disciplina.

Feria 3. Paschæ.

PAcem Dominus Jesus fer. 3. post Pascha dixisse fertur Lucæ 24. dum *stetit Jesus in medio Discipulorum, & dixit eis, Pax vobis.*

Putant aliqui cum Cassiodoro pacem dici à parcendo, vel à pascendo. Vere qui pacem init, is parcere dicitur, & pascit utique pax; oves enim tunc benè pascuntur, quando inter sese jurgia non habent, & pabulum illud dicitur, in quo cum pace pecudes ipsæ pascuntur.

Jurisconsultus tenet in libro de pactis pacem dici à pacto; pactum enim initum inter duo pacem progignit. Septimius Florenus putat pactũ dici à pangendo; pangit enim, laudesve di-

dicit, & narrat de eo, cum quo pacem init amicus.

Panthea dicitur, quasi pan theos, à phanin, & theos, est enim quasi eloquium Dei. Panthea fertur extitisse Regina quædã, quæ è morte mariti in exercitu Cyri contra Babilonem occisi, se lavans in sanguine ejus, interfecit se ipsam.

Verius ergo crediderim pacem dici ab eo, quod quis pandere laudes velit semper amati, & id melius dignosces ex amoris effectibus, quos in unũ colligere volui, iis, quæ hìc adnecto carminibus.

Extasis, Unio, Languor, Dulcedo, Redamari,
Pugna, Dolor, Zelus, Laus, se postponere amato.

Hi decem amoris affectus, à me metro compositi, adnumerantur à nostro laudatissimo Loya, sed præter hos alii alios enumerant, quos uno adhuc carmine concino.

Effervesco, Fruor; Liqueo, Influo, Adhæreo, Lædor, In

In his omnibus vides eosdem esse pacis,& amoris effectus ; quisquis, enim amat,in extasim rapitur; extasis enim significat extra se ; & extra se,in corde nempe amati reponitur amans; unde proloquium anima magis est ubi amat,quam ubi animat , & hoc æquè dicas de pacem habente cum alio , ut & in aliis,quæ subsequuntur .

Unio importat animi nexum , amantis nempe cum amato;concordia enim est, quasi cor unum efficiens , sicuti in Actibus Apostolorum legitur, quod credentium erat cor unum , & anima una .

Languor importat deficientiam corporis coram amato , unde Canticorum sponsa sustentaculum poscit, ad prospiciendum languori , quem ex amore conceperat , quod exprimit dicens, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo .

Dulcedo ab amore causatur , cum nimirum labores amantis dulcissimi apparent, & qui amat non laborat, &

quo

quo major eſt amor, eò minor eſt labor, ut ex Auguſtino didicimus.

Redamari denotat reciprocationem illam, quæ eſt inter amantem, & amatum, *amantem redama*, priſci dixere indicando, quod ingrati animi vitium ſit amantem non redamare.

Pugna eſt bellum illud, quod amãs facilè aſſumit ad vindicandam iniuriã amati, non enim quis poteſt amãtẽ offendere, niſi & offẽdat amatũ; qua propter Jonathas ſe offensũ cenſebat, dũ videbat offenſum Davidem re, & nomine amatum, David enim interpretatur amatus ex hæbræo, & erat David Jonathæ amatus: non poteſt, qui lædit unum, non alterum lædere.

Dolor maximus viget in unoquoque, qui amat amore illo, qui paſſiones inter adſcribitur, de quo præſens eſt ſermo; ſi enim abſit amatus, dolore corruit amans, qui dolorem percipit, quoque, cum amans eſt præſens; cogitat enim non ſemper fore ſe præſentem amato.

Ze-

Zelus eſt Zelotypia, quam amans habet, ità ut zeletur honorem amati, & pro zelo illius ſui exponit interdum vitam.

Laus eſt encomium illud, quod amans ſemper pangit amati, de quo ſemper eloqui vellet, unde Schrevelius cẽſet in Lexico græco, quod amor græce dicatur eros ab iro græca voce, quæ ſignificat dico, nã vellemus ſemper aliquid dicere de iis, quos amamus.

Se poſtponere amato eſt maximus amoris effectus: Philautia namque, ſeu amor ſui eſt ità naturaliter inditus homini, ut nonniſi, dum amore quis maximo erga alium flagrat, ei ſe poſtponit amato.

Efferveſco, febrim illam deſignat, quam amor gignere ſolet, & Antiochus Seleuci filius paſſus eſt eam, dum videns Stratonicã novercam ejus, taliter accenſus eſt, ut jam videretur mori; quod agnoſcens Eraſiſtratus Medicus curavit, ut Antiochus haberet

ſpon-

ſponſam ipſam novercam. Hæc febris eſt illa, quam luxuriam dicit Ambroſius, & ab amore originem habet.

Fruor importat fruitionem illam, ſeù delectationem, quam amãs reperit in amato; & certè, ſi Theologi docent fruitionem, & beatitudinem in viſione ſalvari, non alia quippe fruitio, quam in videndo amatum, & idcirco Abſalon, cùm dixit Pater ejus, quod ex eo quia defecerat ab ipſo, volebat, quod non faciem videret ipſius, dixit ſe malle interfici ab ipſo Davide, quã faciem non videre amati Patris, ſive Davidis.

Liqueo ſignificat liquefactionem illam, quæ quandoque contingit amãti, & quod fabulæ notant de Narciſſo in florem mutato, deſignare intendit, quod Narciſſus ſui amore ſe in fonte proſpiciens, liquefactus ſit in florem mutatus.

Influo ſignificat influxum illum, quem amans habet erga opera amati, & hoc docemur ab hiſtoria Moyſis,

qui dum amore Israelitarum elevatas manus habebat, victoriam influebat ipsi Israeli,

Adhæreo declarat, quod proprium amoris sit facere, quod amans amato adhærescat, & Dionysius lib. 4. de divinis nominibus definit amorem vim quandam, qua amans adhærescit pulchro, vel bono.

Lædor denotat læsionem, quam percipit in amato amans; non enim quis amat amore animali, nisi sentiat passionem quandam, qua se læsum, & debilitatum agnoscat.

Remanet ergo, ut explicemus, quid sit naturalis amor, quid animalis, quid rationalis tandem. Naturalis amor est inclinatio ad sui perfectionem; quæ reperitur etiam in lapide amante centrum, in magnete attrahente ferrum, in electro paleam assumente. Animalis amor est inclinatio, quam sensitivi habent erga bonum sensibile, de quo modò discurrimus, & hic amor est etiam laudabilis, dum est bono

bono ex fine, & moraliter bonus; moraliter vero malus, dum non ordinatus, seu finem rectum non habens.

Amor denique rationalis est amor erga bonum honestum, & hic amor est amicitiæ, de quo supra, cũ de amicitia sermonem habuimus.

Hos præter amores Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap 28. duos alios assignat, videlicet amorem Dei, qui ædificat Civitatem Dei, quando amatur Deus usque ad contemptum sui, & amorem sui, qui ædificat Civitatem Dæmonis, quando quis amat seipsum usque ad contemptum Dei, & ipsemet Aug. in Psam. 64. dicit, quod amor Dei ædificet Civitatem Jerusalem; amor verò sui ædificet Civitatẽ Babylonis.

Jerusalem vertitur Civitas pacis; Babylon interpretatur confusio; cum ergo amaverimus Deum, tunc in Civitate pacis æternos ducemus dies: cum nos ipsos amaverimus, apud inferos, in inferno, ubi nullus est ordo, sed sempiterna confusio, æternam degu-

stabimus mortem?

Pax ergo sit vobis, non pax, quam dat mundus, sed quam Christus dat nobis; est enim pax non mundi, quam dat Christus. Pax Christi est ea, de qua scribit Isajas cap. 57. Pax non est impiis. Certe dat pacem Episcopus, qui est Vicarius Christi specialis, ut notat Hugo de Sancto Charo in cap. 24. Lucæ: hæc eadem pax non est pax impiorum, sed pax, quæ datur hominibus bonæ voluntatis. Pacem ergo do vobis, pacem meam relinquo vobis, dicit Dominus Deus, & bene dicit *meam*, ut inde colligeremus pacem, quam ipse donat, vel quam dat nomine ejus Episcopus dicens, Pax vobis, non esse pacem illam, quam stulti dicunt pacem, cum non sit pax. Pax à Deo originem trahens non habet pro sui causa bonum inhonestum, sed Dei voluntatem, & hinc habes causas amoris multiplices esse. Si enim amor est bonus, esto sit amor sensibilis, causatur à bono honesto, v.g. ludere, ut possis se-

rio

riò agere, ſpectat ad Eutrapeliam, & à bono cauſatur ſenſibili, ſeu à ſuſtentatione propriæ vitæ.

Alia, & quidem principalis cauſa amoris animalis eſt Deus, qui indidit animalibus amorem, ut conſervarent vitam, & per generationem ſpeciem perennarent.

Præterea ſocietas in profeſſione cauſat amorem; ſed vulgus, quin ſapientes, ut plurimum moventur muneribus ad amandum, quare Poeta.

Munera: crede mihi, placant homines que, Deosque.
Placatur donis Juppiter ipſe datis.

Et alibi.

Quid faciet ſapiens, ſi placant munera ſtultum?
Ipſe quoque accepto munere mitis erit.

Proverbiorum 19. & 22. pariter monemur munera capere animam accipientium, & quod multi ſint amici munera dantis, & Tacitus libro 2. hiſtoriarum teſtatur, quod munificen-

 tia

tia sit munere grata.

Causatur denique amor ab ipsa Urbanitate, de qua dicit Euripides, quod plurimum habet lucri, & pusillum laboris.

Remanet pro coronide eorum, quę pollicitus erat hoc in Ethicę cursu sapientissimus Loya, aliqua degustare de Pythagorica secta, & item de Tristitia sigillatim peragere, ultrà ea, quæ memoravimus supra, sed non recedendo à pace, & in amore ipso permanens, addam quicquid ad utrumque conducit.

Remedium contra impurum amorem potissimum à Pytagora censetur esse à piscibus abstinere, nec non à fabis; & variæ sunt expositiones hujusmodi Symbolorum, sed quoniam Quadragesimale tempus pertransiit, non expedit piscibus vesci, sed eos delibando dicemus cum Gregorio Epistola ad Augustinū Britānorum Pręsulem, quod ab Ecclesia in jejuniis permittatur esus piscium *ad solatii condimentū*,

non

non ad libidinis accensionem. Pisces utpotè in salso elemento degentes, salacem libidinem excitant, ac propterea Poetæ finxerunt Venerem natam ex mari. Esus ergo piscium in Quadragesima debet esse parcus, ut de Pythagora legitur, quod ipse non modò à piscibus abstinebat, sed vix pane, aqua, & oleribus victitabat. Abstinebat & ipse à comestione fabarum, quia fabæ inflant, & sic Venerem movent; undè fabæ aliquando in sanguinem vertitur, si sine cortice cum aqua aliquandiù ferventur debita forma à medicis, seù naturalibus præscribenda. Sunt et maximi nutrimenti fabæ, & hoc ipsū libidinem fovet.

Ut aliquid de tristitia breviter exponamus, ipsis fabis notabimus vim inesse tristia somnia mittendi, & quia sunt melancholicus cibus, voluit Pythagoras, quod ejus discipuli abstinerent à fabis, eò vel maxime quia ingenium ipsum debilitant.

Tristitia autem maxima excita-

retur, si in iis immoraremur; ac propterea satis est adnotare, quod oppositorum eadem sit disciplina, ac proinde causæ, effectus, & similia, quæ de delectatione commemoravimus, inducunt in cognitionem tristitiæ ex adverso oppositæ illi, & ne gaudium vertatur in tristitiam, tristitia vertatur in gaudium.

Gaudium maximum erit pacem vobis annunciare, vobis, qui permansistis in tentationibus meis usque in finem. & si Angeli cecinere, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, ego dicam pax vobis, qui bona voluntate prædicti estis; licet enim apud veteres fuerit in controversia, num legendum fuerit, *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*. vel *& bona voluntas*, Origenes controversiam omnem abiecit puncto subscripto sub littera *a* in *Eudhocbia*, quod enim in græco textu habetur, *the' epigi Erini, en antropis Eudocbia*, ubi dictio *Eudocbia* poterat verti, tum

in

in primo, tum in tertio casu, apponendo punctum subscriptum litteræ *a* denotavit Angelos annunciasse pacem hominibus bonæ voluntatis; tertius enim casus græcorum sexto nostro respondet.

Pacem ergo vobis relinquo, quandoquidem in vobis bona voluntas, & bonus amor metempsicosim invenit, quæ verè non est fabulosa, si sano intelligatur sensu; si enim velimus credere Charamueli totis viribus in sua Philosophia probanti; quod Pythagoras fuerit Ezechiel, vel Alexandro Polytori de symbolis Pythagoricis, asserenti, Pythagoram fuisse quendam discipulum Ezechielis, dicemus, quod transmigratio Pythagorica, non sonet animam ab uno animali in aliud trāsmigrantem, sed bene animam ex amātis corde in cor transmigrantem amati; Anima est magis, ubi amat, quā ubi animat, ergo amans est in amato; & si amans jam transmigraturus mox erit, ex amātiū cordibus in cor trāsmigretis amati. Dicebam ex tempore.